CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES SECUNDA — TOMUS LXIV

IŠŌʿYAHB PATRIARCHAE III

LIBER EPISTULARUM

INTERPRETATUS EST RUBENS DUVAL



PARISIIS
E TYPOGRAPHEO REIPUBLICAE

CAROLUS POUSSIELGUE, BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE : OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCV

DE

IŠŌʿYAHB PATRIARCHAE III

VITA ET SCRIPTIS.

Išōʿyahb Adiabenus, inter nestorianos scriptores eximius, septimo saeculo floruit. E patre Basṭomagh, viro nobili diviteque, in Adiabenes pago Kuflānā dicto natus est, et in schola celebri Nisibena litteris studuit. Mosulae urbis episcopus primo et post aliquot annos Arbelorum et Mosulae metropolita factus est. Insigni nomine iam fruebatur. Anno 630, cum amico suo Sahdōnā urbis Maḥōzē-d'Arēwān episcopo, comes datus est patriarchae Išōʿyahb II, quem regina Persarum Bōrān, ad Heraclium imperatorem, legatum de pace componenda mittebat. Arbelorum et Mosulae sedem occupavit usque ad mortem Maremmeh patriarchae, qui Išōʿyahb IIum in principatu Ecclesiae nestorianae exceperat.

Eo tempore cum Iacobitis, qui iamdudum Assyriam invaserant, multum pugnavit metropolita. Sed summum animi angorem subiit, cum Sahdōnā fidem nestorianam de Incarnationis mysterio respuisset, et librum dogmati catholico consentaneum vulgavisset[1]. Sahdōnae sententiam acriter impugnavit Išōʿyahb pluresque adversus eam epistulas conscripsit, ita ut e sede sua deiciendi Sahdōnae revera causa fuit.

Cum diem supremum anno 647 obiisset Maremmeh, ad patriarchatum Išōʿyahb noster, huius nominis tertius patriarcha, evectus est. Sed episcopi aliquot nestoriani, malae dominationis

[1] De Sahdōnae conversione vide : Heinrich Goussen, *Martyrius Sahdona's Leben und Werke*, Leipzig 1897; — Paulus Bedjan, *S. Martyrii, qui et Sahdona, quae supersunt omnia*, Paris et Leipzig, 1902.

cupidine flagrantes, ei obstiterunt, imprimis autem Simeon, urbis Rewardašir, in Perside, metropolita. Anno 658 mortuus est Išōʿyahb patriarcha III^us.

Elenchum eius librorum tradidit ʿAbdišōʿ Nisibenus in suo catalogo, sequentem :

Refutatio cogitationum haereticarum (ܗܘܦܟ ܚܘ̈ܫܒܐ), quam rogante Iohanne, urbis Bēth Lapaṭ metropolita, scripsit[1].

Tractatus varii de controversiis.

Laudationes et sermones.

Hymni.

Hortationes ad novicios.

Liturgica opera de baptismo[2], *absolutione et consecratione.*

Recognitio Breviarii nestoriani Ḥudrâ (ܚܘܕܪܐ) *dicti.*

Epistulae.

Martyrii Išōʿsabran Acta.

Ex his operibus ad nos pervenerunt *Epistulae*, quarum collectionem nunc publici iuris facimus; *Acta martyrii Išōʿsabran*, quae edidit I.-B. Chabot, *Nouvelles Archives des Missions scientifiques*, t. VIII, p. 486 et sqq.; et quaedam opera liturgica scilicet : Ordo baptismi (cod. Vatic. XLII; cod. Paris. syr. 283; Brit. Mus., add. ms. 7181; codd. Berolin. 38, 40, 42, 47); ordo consecrationis altaris (codd. Vat. XLV, LXVI, CCXCI; cod. Paris. 283; codd. Berolin. 38, 40); ordo absolutionis apostatarum et haereticorum (codd. Vat. XLVI, LXVI; Paris. 283; Br. M., add. ms. 7181), et publice paenitentium (cod. Vat. XLII; add. ms. 7181); ordines consecrationis aquae impurae, iuramenti, renovationis fermenti (cod. Paris. 283; add. ms. 7181; cod. Berolin. 38); canones de diaconis, presbyteris et episcopis (cod. Vatic. LXIII).

[1] Hunc librum commemorat auctor in epist. VI et VII, part. II; vide infra, p. 98, 100.

[2] Išōʿyahb III° fortasse adscribenda est liturgia de baptismo, quae apud Assemani, *Bibl. orient.*, III, 1, p. 111, Išōʿyahb I° attributa est. Vide G. Diettrich, *Die nestorianische Taufliturgie*, Giessen, 1903.

Haec opera adhuc inedita sunt; ordinem tamen baptismi et pauca fragmenta alia anglice vertit Badger in opere suo *The Nestorians and their rituals*, t. II (London, 1852).

De vita et scriptis Išō'yahb III[i] videas : Assemani, *Bibl. Orient.*, III, 1, 137 sqq.; A. Wallis Budge, *The Book of Governors, Historia monastica of Thomas, bishop of Marga*, t. I et II passim; I.-B. Chabot, in praefatione ad Acta Išō'sabran; W. Wright, *A short History of syriac Literature*, p. 173; R. Duval, *La littérature syriaque*, p. 370.

DE EPISTULIS.

Auctoris nostri epistulae eximium exemplum huius scribendi generis apud Syros praebent. Rei enim litterariae ad aevum classicum, ut aiunt, pertinent, lingua syriaca adhuc pura vigente, et nondum sermone arabico detrusa. Praeclara vero arte scriptae sunt et verborum figuris longisque periodis scatent.

Epistularum harum collectio invenitur in codice membraneo Bibliothecae Vaticanae, syr. CLVII; is codex, St. E. Assemano iudice, saeculo decimo exaratus est, sed antiquior videtur et forsan ad finem saeculi octavi referendus; nunc foliis 124 constat.

Epistulae supersunt hodie cvi; qui eas olim collegit, in tres partes distribuit : prima pars epistulas continet quas Išō'yahb scripsit cum episcopus Mosulae esset; secunda, quas scripsit cum metropolita Arbelorum et Mosulae factus esset; tertia pars epistulas ab Išō'yahb patriarcha facto scriptas refert. Pars prima scribendi arte valet, tamen nobis obscurior est, quia argumentum epistulae plerumque ignoramus. Secunda autem et tertia, quas Assemanus copiose excerpsit, pro historia Ecclesiae nestorianae magni sunt momenti, et, ante alias, epistulae adversus Sahdōnam, et adversus Simeonem, urbis Rēwardašīr metropolitam, episcoposque Qaṭaraeos ad sinum Persicum, quorum impietatem redarguit patriarcha.

Infeliciter accidit ut Vaticanus codex mancus sit. In primo fasciculo quatuor folia desunt, tum initio, tum inter folia 6 et 7. Ad calcem exciderunt saltem duo folia ex ultimo fasciculo.

Codicis Vaticani fusiorem descriptionem dedit Assemanus, *Bibliothecæ apostolicæ Clementino-Vaticanæ cod. manuscr. catalogus*, t. III, p. 299 et seq.

Exstat et alius codex in vico Al-Qoš, haud procul ab urbe Mosula : qui codex exaratus est a Guiwarguis quodam, et absolutus est mense octobre anni p. Chr. n. 1696. Sed exscriptus est ab ipsomet codice Vaticano, qui iam mutilus erat, et quem in Mesopotamia emptum, anno 1716, J.-S. Assemani Romam secum detulit. Solertia quadam usus est Guiwarguis in transcribendo codice, ut eius vitia tegeret : epistulam ab initio mancam omisit, necnon epistulam XII[1] primae partis, fine mutilam; et cum epistula ultima medio versiculo Evangelii S. Iohannis desineret, facili negotio sententiam complevit; initio et fine inscriptionem et clausulas addidit, ita ut codex integer videretur.

Huius novi codicis facta sunt apographa duo, curante cl. E. A. Wallis Budge[2], in proprium usum, et aliud, curante I.-B. Chabot, quod nunc in Bibliotheca Nationali Parisina sub n° 336 asservatur; hoc autem a scriba Petro, sacerdotis Iosephi filio, in urbe Tell-Kepha, mense maio anni p. Chr. n. 1896, absolutum est.

In editione nostra codicem Vaticanum totum exscripsimus et codicem Parisinum sedulo inspeximus, ut decet. Hic enim codex utilitatem non spernendam adhibet ad legenda aliquot verba in cod. Vaticano nunc evanida; insuper nonnullas correctiones scribae idonei praebet, quas ima pagina notavimus.

In notulis littera V codicem Vaticanum et littera P codicem Parisinum demonstrant.

[1] Epistulae in codice Vaticano numerum ordinis non habent; nos eum in commodum legentium addidimus.

[2] Vide : A. Wallis Budge, *The Book of Governors*, t. II, p. 101, n. 5.

Integra collectio epistularum nunc prima vice editur; sed earum catalogum dedit Assemanus, *Bibl. or.*, III, 1, p. 137 et seq., et in eodem tomo insigniores sive integras sive partim exscripsit et latinitate donavit; nempe :

a. e parte prima : Ep. XLIV (p. 114-115); ep. XLIX (p. 116).

b. e parte secunda : Ep. III (p. 138); ep. VI (p. 116 et seq.); ep. VII (p. 118); ep. XXVIII (p. 118); ep. XXIX (p. 119); ep. XXX (p. 119-123).

c. e parte tertia : Ep. XIV (p. 127); ep. XVI (p. 131); ep. XVII (p. 133); ep. XVIII (p. 134).

Etiam cl. Budge, in opere supra citato, *The Book of Governors*, nonnullas epistulas edidit, et iis quae iam ab Assemano latine conversae fuerant anglicam versionem addidit; editae sunt istae :

a. e prima parte : Ep. IV (t. I, p. LXXIV); ep. VII (t. I, p. LXXXIV, n. 1); ep. VIII (p. LXXXV, n. 2); ep. IX (t. I, p. LXXXV, n. 1); ep. XI (t. I, p. CXLVI); ep. XIII (t. I, p. LXXXIII); ep. XVIII (t. I, p. LXXVII et seq.; t. II, p. 104 et seq.); ep. XIX (t. I, p. XCVIII, n. 2).

b. e secunda parte: Ep. VI (t. I, p. LXXXVI et seq.; t. II, p. 132 et seq.); ep. XXVIII (t. II, p. 140); ep. XXIX (t. II, p. 133); ep. XXX (t. II, p. 144).

c. e tertia parte : Ep. XIV, XVI-XXI (t. II, p. 154 et seq.).

Denique, tempore quo opus nostrum sub prelo iacebat prodiit Londini liber cui titulus : *The Book of Consolations, or the pastoral Epistles of Mar Ishō-Yahbh*, by Ph. SCOTT-MONCRIEFF, part I.; 1904. Hic liber continet solummodo textum syriacum epistularum primae partis; sed cum codicem Vaticanum penitus neglexerit editor et usus sit tantum apographis a Budge emptis, de quibus supra diximus, parum accurate exaratis, ut apparet, iam editio minus grate a viris doctis excepta est[1]. Reliquae partes non prodierunt.

Scribebam in villa Morsang, kal. sept. A.D. MDCCCCV.

R. D.

[1] *Revue Critique*, 1905, n° 4 (LIX, p. 72); *Journal asiat.*, 1904, II, 548.

LIBER EPISTULARUM MAR IŠŌʿYAHB.

PARS PRIMA.

EPISTULAE AB IŠŌʿYAHB SCRIPTAE CUM EPISCOPUS ESSET[1].

. . . .

. . . . sed haud minus quam decet *potuerunt colloquia clausa* mihi impertiri talem vim et invenire in mente mea immortaliter dilectionem perfectam Castitatis tuae. Quamvis ad aliam scientiam confugiam quae post colloquium de eventibus adquiritur, tamen illico felicitate ipsa perfectae dilectionis tuae valde frui mihi datur. Cum fructus accuratae probationis tempore aequo producentur, stillicidiis suavibus gratiae Dei, et tristitia aeris ex hieme angustiarum in laetitiam veris convertetur, et orietur lux salutis e magno sole justitiae, «tunc implebitur os nostrum risu et lingua nostra glorificatione; tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis, et dicemus nos quoque continuo : Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus laetantes[2]». Ei sit gloria in aeternum. Amen!

Cur, o Sapiens, cum te taedeat dare salutem amicis tuis aliquot in lineis super chartam *scriptis*, ne tibi quidem, ut videtur, si tibi scribunt, gratum sit? Ego autem, quod semel subditus fui dilectioni Dignitatis tuae et pro felicitate eximia habeo commercium memoriarum tuarum, per talem mercaturam chartarum, cogitavi nunc occurrere personae tuae, nec puto sollicitudinem mentis meae a temet contemnendam. *Si igitur velis iucunde legere haec, ne *p. 2.
cohibeas munus praestans cogitationum tuarum ab eis qui exspectant nuncium incolumitatis tuae. Saluta socium laborum tuorum! Salutant te omnes sancti qui hic sunt, quos non taedet orare pro te offerendo mysteria sancta. Perficiat Deus supplicationem eorum pro te in misericordia gratiae suae, amen!

[1] Initium deest : inscriptionem addidi. — [2] *Ps.* cxxv, 2-3.

II. — Ad congregationem monachorum, de studio fidei [1].

Sanctissimo Patri nostro benedicto Mar Babai, filius tuus Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Quod si cum gloriatione convenienti triumpharet in omni generatione actio virtutis, o Pater, facilis esset labor pro ea, etiam illis qui robore infirmo utuntur in certamine belli, quia ea glorificatio a multis *acta* incrementum fortitudinis praestaret debilitati zeli eorum, et tales incitationes auctio fiduciae fierent ad loquendum pro veritate : et solius veritatis esset triumphus victoriae, non autem ministrorum eius. Nunc vero, cum omni periculo ab hostibus externis dudum quoque murmuratio a familiaribus addita est; et cum his iuncta est [2] infirmitas intellectus humani duris in temporibus, quae acciderunt in communem afflictionem, et cum etiam malum inobedientiae multos invaserit, et acceperit iam consummationem convenientem verbum Apostoli dicens [3] : « In novissimis quidem temporibus erunt homines seipsos amantes » et reliquum sententiae,
*p. 3. multaque alia, quae per Spiritum Sanctum iam praedicata * a pluribus generationibus, expleantur quidem nunc reapse a filiis inobedientiae, et difficilis ad stabiliendum videatur propter ea prosperitas fidei nostrae : quam ergo gloriationem laudum non possidebit ille qui per procellas desperationis ducit navem fidei gubernaculo praedicationis suae et cibo abundanti implet urbem suam e negotio vitae spiritalis?

Huiusmodi enim periculum procellarum barbararum cum vicisset sollicitudo zeli tui per multos annos, o Pater sanctissime, inops potuisti patefacere omnes ipsos dolos satanicos daemonum corporalium, hoc enim nomine videtur mihi appellandos esse impios. Etiam vero principi aeris, cum ipse naturam eximiam adeptus esset in sua creatione a Creatore bono, tamen impietas eius erga Deum hoc nomen comparavit. Quapropter etiam heredes eius rebellionis hereditatem eius nominis ad se omnino rapiunt. Tales ergo daemones pravos inimicosque veritatis, et stupidos inobedientesque socios malitiae eorum, cum tota vehementia stultitiae eorum prompte comburebat ignis zeli tui divini : et cum fulgore

[1] P haec habet : « Epistola ad Mar Babai, archimandritam, de studio fidei orthodoxae. » — [2] Vocem ܬܠܝܬ a verbo ܬܠܐ ducimus, quamvis sensus « tertio » huic loco congrueret. — [3] II Tim., iii, 2.

flammae suae consumeret, ut stipulam, impietatem audaciae eorum, sine offendiculo reddebat gressum in via veritatis eis quos iuvat delectari luce evangelii gloriae Christi. E medio certaminis hostium, e murmuratione familiarium omnique necessitate temporis gloriatio zeli tui glorificanda est cum laude a Deo : ipse gratia sua exaltet honorem tuum in consolationem fidelium suorum per longos annos, amen !

III. — * Ad medicum quemdam, de auditione morbi. *p. 4.

Deum amanti Fratri nostro honorato Mar Sergio, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Natura communis, o frater, eis qui pari temperamento librantur, per iucunditatem cibi eadem alimenta efficere solet : sive ad mutandum et augendum incrementum staturae corporis, sive ad gignendos dolores cruciantes qui accidunt. Cum ergo his doloribus solitis afficiantur simul quoque animae nostrum omnium per asperitatem alimenti nunciorum adversorum quae intellectum cruciant, quomodo haud necessarium fuerat quod fuit? *videlicet* : ut ego et omnes amici tui hic magnum dolorem cogeremur pati, cum accepissemus nuntium morbi tui et eorum quos amas. Protractus est nobis longius effectus rei, quia non relata est nobis cito fama altera quae priori adversaretur. Cura ergo, o frater, ut, cum mandabis nobis nunc quemadmodum ducat te providentia gratiae divinae, felicitatem magnam impertiaris bonae nostrae voluntati quae cupida est accipiendi nuncium prosperitatis tuae. Tunc nos referti solatio de quiete tua confitebimur tecum quovis tempore misericordiam Dei erga te : ipse gratia sua custodiat te ab omnibus detrimentis in perpetuum, amen !

IV. — * Ad monachum magnum et illustrem, de rebus asperis quae contra fidem evenerunt. *p. 5.

Patri nostro sanctissimo Mar Ḥnānišōʿ, filius tuus Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Mysterium quidem iniquitatis[1], o pater, iam coepit peragi et in asperitate dolorum qui apparent, partus mali exspectatur.

[1] Cf. II *Thess.*, II, 7.

Tempus igitur est, puto, *ut omnino properet castigatio.* Ecce enim obscuritas multarum calamitatum, quas nobis attulit tempus, et esuries bonorum quae vitam hominum sustentant. *Ecce* coepit arescere radix christianitatis uredine inopiae sacerdotum qui reddant florentes ramos plantae dilectae, et relicta est in urbe corruptio inter residuos imperitos. Insuper *adde* etiam decessum huius ducis fidem amantis e vita corporali, cum contigerit statim quoque adventus magi illius, religionis persecutoris, cum luctu multorum, quos deiecit a spe vitae eorum, periculum passionis vitaturos, et qui fuerunt exemplo malo multitudini debilium; et *adde* reliquum rerum aliarum quae augent gemitus peritorum de ruina communi. *Haec* satis praedicant, ut dixi, mysterium iniquitatis et adventum iniqui. Ante omnia autem contristat peritos somnus neglegentiae qui invasit antistites veritatis. Quid ergo superest miseris mihi similibus quo comparent solatium parvum? *Nisi id quod iam pridem* voluissem facere, *scilicet* : tibi, dux Deum amans, vocem gemitus in epistula mittere, ut cum moverim misericordiam Paternitatis tuae commemoratione ruinae communis, inveniam cito pignus
*p. 6. *solatii, opera gratiae divinae per petitionem orationis tuae, et e tenebris obscuritateque oculi caecorum videant. Etenim multum decet pietatem Paternitatis tuae bonus labor pro salute omnium, quo ex altitudine dierum tuorum ad terminum gloriae triumphaturus pervenisti. In fine ergo manus inutilis *velim* ne discedat memoria debilitatis meae ab oratione Paternitatis tuae, ut forte dignus inveniar qui reliquos dies meos in vita quae placeat voluntati Dei agam.

V. — Ad doctorem Arbelensem, quod eum salutaverat nominatim in epistula ad archimandritam *missa*, et de eius sollicitudine erga confessores vinctos.

Excellentissimo doctori theologiae, Mar Daniel, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Cum in sensu intellegentiae accepissem gloriose venerationem humilitatis tuae, o caste, alimentum boni desiderii tui mihi visum est laborare seorsum et simul in excellenti communione eorum quibus praestantiorem me fecisti. Cum enim consociatus adfui, multam laetitiam sensi ratione muneris tui; quominus quidem obsisterem timor contemptionis *me* terrebat; ut autem obsisterem

periculum litterarum inscitiae conturbabat. Supererat ergo ut, quod existimatur utile, mixto modo responderem : primo quidem ut qualis sum videar, id est, ingenio imbecillis; secundo autem qualis existimor, id est, fugax vanae gloriae. Quod ergo ad mare rivi colligantur, mos est naturae; *quod ad sensum qui intellegens factus * p. 7. est *colligatur* sublimitas argumentorum, mos est libri; quod ad lucem *colligatur* divisio stellarum, res est necessaria; et quod ad causam *colligatur* totus cursus vicissitudinum ordo est gubernans; ita quoque quod ad intellectum *colligatur* proles multiformis cogitationum diversi generis, mos est rationalitatis, quemadmodum tibi magis quam ceteris omnes hae res distinctae sunt. Quanto magis, si haud stulte ausus fuisses miscere inopiam mentis meae per nugas speculationis in mari profundissimo, scientia sapientiae tuae *esset*, quae, cum ad institutionem theologi huius incliti se elevavit et in natura rationalitatis eius se miscuit, sigillorum eius iudiciorum instituta est heres. Per te omni tempore, sicut nunc etiam philosophus fecit spiritalia : ordinem qui occultabatur vulgo maxime amabilem esse ostendit, sapore solito suavitatem legum curat, immobilitatem sterilitatis abundantia subtilitatum implet et hoc facere conatur, ut vulgi sit bonum commune, quod sensum et sortem et providentiam esse nonnulli finxerunt. Et id *efficit*, cum dolet, cum loquitur cum dolore, cum patitur retributionem damnorum, cum laborat de faciendis virtutibus praesertimque filiis Dei, cum clamat cum duce certaminum, si contigit, etiam a Christo se alienum reddens, si fieri potest, propterea ut faciat multos justos. Eum igitur, id est, te ipsum, qui omnino vas rationalitatis et opus seminum spiritalium es, nunc etiam minister afflictorum et eorum qui patiuntur pro gloria, praesertim autem pro Christo vincto, aegroto, esuriente, sitiente, nudo, te qui propter omnes cotidie socius es patientium beatorum, quomodo antecedam ego ad sacrificium, et solvam fructum opere dignum pro beatitudine, quae propter hoc nobis evenit, aut pro gloria *quae occultatur in doloribus, aut * p. 8. pro humilitate tua erga nos? Nonne etiam proicere per incitationem nostram vim in vim tuam, *esset* quasi praestantiorem, per stellam, facere solem. Nihil ergo superest nobis apud te, puto, ne quidquam quidem dignum oratione, praeter ea quae Domini sunt, scilicet, victoriam voluntatum eius in te : ipse gratia sua ad perfectionem totum laborem virtutum tuarum perducat per misericordiam benegnitatis suae; amen!

VI. Ad illum fidelem supradictum, de tentatione.

Išō'yahb, Sabroi fratri meo : *in Domino nostro salutem.*

«Nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus», ait beatus *Apostolus*[1]. *Cum enim* vim calamitatis quae evenit incremento fructuum castigationis metimur, amice, ipsum verbum Apostoli proclamare decet, donec Deo nostro bono placeamus et in tempore opportuno finem utilem afferamus. Etenim terra, mater communis, cum ictibus vomeris aratri dolorem scissurarum in corpore suo accipit, tunc abundanter fructus utiles praebet. Scito ergo, amice, quod maiorem partem dierum nostrorum in deliciis noxiis egimus, et quasi terra sterilis vepres voluptatum aluimus. triticum autem aut omnino repudiavimus, aut raro et uredine exsiccatum germinavimus. *Propterea providentia gratiae Dei*, cum arat duritiem nostram tentationibus moderatis, fructus laetificantes *colligit in auxilium* nostrum tempore aequo. Obediamus quidem omni modo, ut discipuli boni. Apostolo Dei qui cotidie clamat ad nos dicens[2] : «Sustinete igitur castigationem, quia tanquam erga
*p. 9. filios agit *apud vos Deus.» Ipse gratia sua acceleret in salutem nostram operationem misericordiae suae, amen!

VII. — Ad syncellum suum in schola Nisibena.

Išō'yahb, fratri meo Hormizd : in Domino nostro salutem.

Multum ausus es, o caste, et ad augendam patientiam meam molem gravem attulisti. Oret ergo castitas tua, ut omni opprobrio sapientiae tuae hospes mihi *similis occurrat*; *sic forsan* supererit tibi in decursu temporis residuum aliquot amicorum. Ego vero, cum blande excipio morsus puerilitatis tuae in corpore cogitationum mearum, maxima patientia utor, ne prorsus cogar, mutata indole mea, suavitatem longanimitatis meae exuere, quando me accingo ad respondendum nugis epistulae tuae laudes quae dignitati tuae congruant. Quin vero id possit fieri, si velim, forte non dubitas. Deus det tibi sapientiam in omnibus et roboret te ut custodias unionem caritatis vinculo pacis.

[1] *Rom.*, xiii, 11. — [2] *Hebr.*, xii, 7.

VIII. — Ad superiorem monasterii S. Crucis, de calamitatibus quae post mortem Iazdin acciderunt.

Ministro Domini et militi iustitiae Mar Sabrīšōᶜ, Išōᶜyahb : in Domino nostro salutem.

Ego, sicut nosti, o sancte Dei, vix per plures dies poteram etiam in temporibus actis pro desiderio bonae voluntatis meae occursu personae tuae frui. Sollicitudine quidem digna res est, *ut cuius *p. 10. excellentiae experimentum ante sensum suasorium prospere se habuit, in gazophylaciis quae diripi non possunt asservetur memoria pietatis eius. Praevaluit enim in delectum meum antecedentem perfectio probata bonae voluntatis tuae. Et ideo debitum aequum mihi visum est, et revera est, ut pro facultate debili mea solvam quovis tempore Caritati tuae benevolentiam utilem. Talia igitur etiam nunc meditor et tempore opportuno exemplum συμπαθείας praebeo, quemadmodum meipsum in intellectu infimo nutrio. Obsiste ergo fortiter cum robore patienti, o caste, violentiae vicissitudinum quas tempus tibi attulit. Non enim fieri nec accidere potest, ut sine agitatione fluctuum molestorum naviget quis in mari turbido mundi huius mutabilis. Sed est tibi magis quam omnibus ancora adoranda et signum salutis[1], quae navem mentis tuae sine agitatione in procella temporis huius detinere potest. Quae enim, cum olim infigeretur terram commovit[2] et mortem occidit, abhinc cotidie legiones daemonum perturbat, cum fideliter ministratur : quanto magis te plusquam ceteros triumphare faciet in salute cotidiana, tanquam ministrum sanctitatis suae; ut cum incolumis ab omni passione servatus eris, possimus nos quoque sine perturbatione delectari conversatione tua, lausque, quae tantae sollicitudini convenit, per concordiam multorum crescat ad gloriam Christi : ipse gratia sua te custodiat ab omnibus detrimentis, amen!

IX. — Ad amicum quemdam post vastationem Romanorum.

Išōᶜyahb, Sergio : in Domino nostro salutem.

Quia procella belli[3] agitavit turbine suo mare *mundi, o di- *p. 11.

[1] His verbis ad nomen monasterii S. Crucis alludit. — [2] Cf. Matth., xxvii, 51. — [3] Alludit sane ad invasionem Heraclii in Assyriam annis 627-628.

lecte, et fumo fluctuum captivitatis usque in omnes plagas universi commotae sunt naves generis humani et in rupibus tantum timoris relictae sunt reliquiae, ut residuum in diebus Noe, ideo in naufragio dubitationis versatur mens amicorum de spe illorum qui eos laetificabant. E confusione nunciorum, quasi e summitate fluctuum abyssi, effigiem sanitatis percipimus, sed hactenus non firmatur hallucinatio cupidinis nostrae in spe vera. Cura igitur, o caste, si nobis es in vita corporali, ut nos laetifices spe incolumitatis tuae, aut per adventum aut per epistulam. Forsan, cum didiceris quae super nos transierunt, allevabis onus nostrum per communionem solaminis. Nos vero, cum sicut titio ex igne aufugerimus ex incendio spoliatorum, gratias agimus benegnitati Domini nostri, qui omnino nostri miseretur; simul atque precamur ut cito te suscipiamus cum gaudio. Deus custodiat te ab omni malo, amen!

X. — Ad monachum quemdam, de obitu magistri eius.

Excellentissimo Patri nostro Mar ʿAbdīšōʿ, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Homo Dei qui spiritum prophetiae duplo suscipere potuit, cum prophetam igneum in curru igneo ad caelum misisset[1], orbitatem Israelis dolori suo miscuit, gemitu flebili voces dolori suo pares edidit, et quanquam magnopere certam habebat promissionem petitionis suae *exaudiendae*, nihilominus moerore victa est fides eius et exutam armis prophetiae esse imaginabatur aciem Israelis
*p. 12. carnalis, *et ideo etiam gemebat. Quid autem simile quomodo non pati debeamus nos omnes cultores Dei, quod aurigam et equites Israelis spiritalis[2], hoc est ducem exercituum foederum ecclesiasticorum, turrim praevalidam vitae spiritalis, illum qui in corpore mortali gestabat typum vitae post resurrectionem *agendae*, qui igne zeli sui divini semper consumpsit omnem stipulam haeresum, sanctissimum et religiosissimum, imaginem perfectam virtutis, Patrem nostrum beatum Mar Ḥnānīšōʿ, eo tempore miserrimo ad locum divitem sanctorum misistis[3]. Acer enim dolor orbitatis et in ima viscera naturae *nostrae* irrepsit et partem strenuam ardere fecit dilectione virtutum. At surgit aliquando quoque

[1] Cf. II *Reg.*, II, 9. — [2] Cf. II *Reg.*, II, 12. — [3] In cod. «misit»; correxi e locutione simili, p. 16, l. 16.

spes promissionum futurarum, saepe etiam adversus fidem ipsa fide dimicans; et ideo *fortiter indicat* dolorem suum talibus doloribus. Itaque necesse est, ut in similibus rebus quid simile dolori misceamus, nos qui relicti sumus ad subeundos moerores orbitatis a patre spiritali. Quamvis vero *ille* non duplo vehementia zeli sui, sed solummodo fulgore radiorum suorum ungat nos, alterum Eliseum, potest ipse tegere lumine veritatis suae tenebras prospectantium[1], et sine dolore in quiete fidei consedere sinit illos qui incolumem retinent hereditatem bonam Patrum sanctorum. Et quia adhuc occultatur sensibus corporalibus talis unctio, *at* «fidelis est Deus in promissionibus suis[2], quia non repellet Dominus populum suum et hereditatem suam non derelinquet[3]», ideo necesse est ut, cum de specula filiorum prophetarum exspectamus divisionem Iordanis quae prodest ad promissa explenda[1], tunc timorem dubitationis a nobis *expellamus, et spe veritatis nostrae tanquam veste ferrea cingamur, fiduciam dignam gloriatione in Domino nostro in tempore opportuno ostendamus, et gratiam de multis sollicitam: cuius per multos confessio augeatur ad gloriam Christi; amen! *p. 13.

Mihi vero, o sancte Dei, decessus huius ducis venerandi e vita corporali hoc tempore vulnus subitum inflixit. Hactenus in dubitationem cogitationum mergebat, et fuga a quavis re videbatur mihi utilis esse ad commodum inopiae meae. Migrationibus continuis subripitur sensus dolorum molestiarum. Oret igitur sanctitas tua, quaeso! Stude praesertim ut absorbeatur rursus gaudio nostro tristitia quae nos assecuta est, et victoria virtutum tuarum gloriatio omnium crescat. Mei ipsius memento cotidie ut misericordiam Dei per petitionem orationis tuae obtineam, et mox quoque occursu laetificanti personae tuae delecter. Detur salus bonae voluntatis meae per osculum Caritatis tuae Patribus beatis et Fratribus qui tecum sunt. Te salutant omnes sancti qui hic sunt.

XI. — Ad Fratres qui in monte Izala sunt, de obitu superioris eorum.

Ministro Dei, Patri nostro sancto Mar Ḥabibae et Patribus beatis et Fratribus sanctis qui cum eo in ministerio spiritali laborant, filius communis caritatis Paternitatis vestrae Išō'yahb : in Domino nostro salutem.

[1] Cf. II *Reg.*, ii, 7 et seq. — [2] *Ps.* cxliv. 13. — [3] *Ps.* xciv (xciii), 14.

Nunquam cogitaverim, o sancti Dei, quod vincendus impetu rerum adversarum visurus eram sollicitudinem voluntatis meae e cursu ad desiderium pulchrum *amotam* et in tanta depressione, *p. 14. ut non solum *inopia commercii vestri utilis torquerer, sed etiam omni consolatione spei laetificantis quam epistula *affert* privarer. Dura quidem est mihi praesertim vehementia doloris, quia etiam vobis non minus quam mihi erepta est possibilitas nos visendi. At confido in Domino nostro ut cito remedium omnibus inveniam in occursu Caritatis vestrae plenae omni consolatione. Quantas vero perturbationes moeroris passus sim usque adhuc communiter et singulariter, id narrationibus protractis relinquendum est, quibus alacritas vultuum cum laetitia fruetur, Deo iuvante. Sed quia exemplum rerum adversarum cotidianarum redarguit debilitatem nostram omnis victoriae expertem, vertite vosmet ad me, quaeso, et solamini inopiam meam nuncio salutis vestrae et modi quo ducat alacritatem vestram providentia gratiae Dei, postquam hominem Dei ad caelum misistis et hunc ducem magnum et illustrissimum in numerum sanctorum rettulistis. Cui enim magis convenit gloriatio beatitudinum quam vobis, qui regnum caeli sanctis Altissimi impletis? *Eis nempe* qui cum ordines ministerii spiritalis, angelorum instar, homines orientales docuissent et e mundo carnali ad vitam incorruptibilem se elevavissent, in vobis sicut in auro puro imaginem vitae suae infixerunt, et figura praestans religionis lucrum est sollicitudinis eorum in vobis per successores laborum eorum. Cum vero ex illis et talis est dux iste, beatus et sanctissimus Pater noster benedictus Mar Babai, cui inter illos qui semel renovati sunt spiritu mentis eorum, secundum praeceptum Apostoli[1], non digna beatitudinibus viderentur decessus mirabilis in tempore opportuno et reliquum glorificationis in tempore futuro? Quamvis *p. 15. enim misceatur laetitiae *spiritali dolor corporis, cum indigemus scilicet omni tempore fulcro consubstantiali, mitigat tamen vehementiam doloris exemplum rerum quae fuere, quia potest Deus, ut scriptum est[2], «et e mortuis apud nos suscitare in quaque generatione vivos *homines*», qui prosint solamini fidelium eius; ideo confido usque ad ultimum servatum iri benedictionem gratiae eius apud vos firmiter, in exemplum caritatis eius erga sanctos suos.

Mementote igitur dierum in quibus cotidie certamina magna

[1] *Eph.*, iv, 23. — [2] *Hebr.*, xi, 19.

subiistis patientes pro veritate, cum spectaculum praebuistis zelo adversus corruptores fidei, et arrogantiam potentium cum gaudio sustinuistis, nec sivistis velum erroris ne puncto quidem temporis obscurare lumen veritatis, sed manifestatione veritatis fiduciam confessionis bonae coram omnibus splendere fecistis : et triumphum testimonii vestri etiam ora hostium coguntur proclamare. His igitur testimoniis cotidianis comparavistis in omni loco testes praesidii vestri in ecclesia sancta ad custodiendam veritatem fidei confessione orthodoxa et ad excellendum in opere vitae spiritalis quam tradiderunt Patres nostri sancti. Quae ipsa continuo perficistis cum auxilio Dei, ut confido. Nihil ergo deest ad spem bonam et perfectam, ne quid quidem dignum oratione in iis quae efficacia virtutis requirit. Sed omnia in omni commemoratione ad laetitiam perducunt me; et tantum ut maneat semper felicitas talis oro, pro glorificatione veritatis nostrae et gaudio orthodoxorum. Supplico autem caritati Paternitatis vestrae, ut in oratione pietatis vestrae commemoratio debilitatis meae servetur, ut forsan possim residuos dies meos in vita quae placeat voluntati Dei agere.

XII. — * AD EOSDEM FRATRES IN MONTE IZALA, DE MORA RESPONSIONIS ET DE AUDITIONE ADVERSA. * p. 16.

Ministris Dei et servis studiosis virtutis, Patri nostro venerando Mar Ḥabibae et Patribus beatis et Fratribus sanctis qui simul in monte Izala in hereditate Patris nostri Abrahae excellunt in ministerio spiritali, filius communis caritatis Paternitatis vestrae Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Licuit mihi, o sancti Dei, anno superiore scribere Caritati vestrae, gemens quidem dolore quod potuerit vehementia rerum adversarum quae evenerunt abscindere studium voluntatis meae ab occursu personarum vestrarum, cum communiter scilicet divideretur dolor, quia ne epistula quidem e longinquo potuimus occurere nobis invicem per longum tempus. Abhinc autem et deinceps, ex quo scripsi, vos siluistis. Apud me solum, ut videtur, manet unice onus doloris, propter solitudinem et simul propter desiderium, forte etiam propter pusillanimitatem nimiam. At cum ita spem visitationis vestrae exspectarem tempore praeterito, o sancti Dei, rapuit me procella peccatorum meorum usque ad abyssum Seleuciae, et tempore longo hucusque ibi coactus fui manere; sed propter nihil aliud quam

legem amicitiae. Auctio enim amicorum cotidianorum auctionem faciebat morae meae ibi; imprimis quod spe utilitatis visitatio mea prorsus protrahebatur. Quando autem lubet[1] . . . .
. . . .
. . . . .sedulo laetifica me.

*p. 17. XIII. — *AD MONACHUM QUEMDAM QUI VOCATUS ERAT AD DIRECTIONEM MONASTERII ALIUS.

Išō'yahb, Paulo, fratri meo : in Domino nostro salutem.

Audivi de adventu tuo, etiam legi quod scripsisti mihi. Quod posueris in dubio adventum tuum non bene egisti. Non vero est id illius qui semper pauper spiritu est in omnibus vicissitudinibus quae accidunt, sed forte propter simplicitatem magnam tuam solitam pro institutione morum et rationis vitae et famae habuisti migrationem tuam e loco in alium. Non autem sic videatur tibi; sed conscientia peregrinationis et cogitatio pauper migrent tecum quocunque et comitentur te in cunctis actis tuis, et quiesces. Te ipsum offer coram Dño nostro omni tempore, ut etiam facis, et voluntas tua semper secundum voluntatem Dei sit, qui ducet te in cunctis actis tuis per viam veritatis suae. Innitere iustitiae et nihil timebis. Qui enim verum loquuntur etiam reges terrae possunt reprehendere, praesertim si efficiunt verum quod loquuntur. Fratribus autem qui tecum *erunt* ne sis qui de suo doceat sed qui commemoret solum praecepta Domini nostri et doctrinas Patrum; et quando commemoraveris, roga eos ut ea custodiant; si neglegunt, iudica eos in caritate; si obsistunt, obtestare eos de discessu tuo; si orant te ut maneas, ora eos ut custodiant praecepta; si non custodiunt, edocuerint te iam non esse necesse tibi manere apud eos. Si oportet discedere, expone coram eis publice causas discessus et recede sine ira et sine vituperatione, non relinquens quidem post te accusationem aequam linguis promptis. Ecce ista omnia ad
*p. 18. tolerandam *inobedientiam. Si autem obtemperant praeceptis utilibus, communes iam erunt divitiae virtutis eis et tibi.

Multum doce ut multum lucreris. Curae sit tibi ante omnia caritatem docendi, et eius exemplum primo in temet da, ut facilius

[1] Hic unum aut duo folia desunt et imperfecta est epistula. Verba «sedulo laetifica me» ultima sunt alius epistulae deperditae.

accipiatur sermo crescatque in communitate lucrum. Adversus mores loci priores, quos forte necesse est mutare, paulatim dimica; primo suade quod praestans sit, deinde cura quod deficiens sit, ita ut, cum comparato altero cum altero diiudicarentur necessaria, crescat excellentia *praecepti* quod dixeris. Si *id* custodiunt, sciant praeceptorem virtutis te fuisse eis; si non custodiunt, sciant virtutem se contempsisse. Ut breviter dicam : cum utilitate consede et cum utilitate discede. Utile autem id aestimandum est tibi quod conscientiae tuae testimonio confirmatur. Ne praeoccupatus sit animus tuus circa negotium quoddam, sed omnia ad tribunal cogitationum affer et examina aeque cum timore Dei, et sequere quod rectum est.

Ipse Deus pacis det tibi pacem in habitaculo tuo et perficiat te in cuncto opere bono ad faciendam voluntatem suam, et omni robore firmaberis secundum sensum voluntatis eius pro gloria ipsius Dei et solamine nostro. Ora quoque pro me ut residuos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. Te salutant frater noster Mar Ḥnānīšōʿ et fratres qui mecum sunt. Da salutem fratribus qui tecum sunt et roga eos ut orent pro debilitate mea.

XIV. — Ad doctorem quemdam, de morbo et paupertate.

Homini laborum et operario solerti doctrinae verae, casto et amanti Deum, Mar Ḥnāniae sacerdoti et doctori, Īšōʿyahb : in Domino nostro salutem.

*Epistulam tuam ad me, o amans Deum, quae exemplum ma- *p. 19.
gnum parvitatis caritatis habebat accepi et legi, et de sanitate tua gratias egi Domino nostro. Parvitatis enim caritatis est quod in abundantia argumentorum gloriam laudum infigamus et mittamus amicis nostris exemplum mentis nostrae. Quod ceteris quidem propter gratiam veram similia scribamus aut dicamus, digna res est sane cura parva, sed quod eidem homini talia impertiamur, nullo modo timorem adulationis effugere possumus. Quapropter sufficit nobis, o amans Deum, pro exemplo sedulae caritatis nostrae testimonium mentis nostrae, quod etiam confidimus sine perturbatione permansurum esse in perpetuum, Deo nos iuvante.

Audivi, o Deum amans, manu spoliatorum paupertatem maximam tibi paratam esse. Audivi quoque morbo fortuito debilitatem multam corporis tibi constitutam esse, et utriusque causa angorem animi te pati. At non digna est annis tuis huiusmodi cogitatio, o

caste. Qua enim ratione videtur tibi debile nunc id cuius curae exemplum septuaginta annis comparavisti? Morbus autem pro anima quae confidit in Deo est timor alterutrius harum rerum, maxime pro doctore veri. In *pusillanimitate ergo, ut censeo, possessionem* ambarum harum detinebas et in misera spe fiducia de sanitate corporis et de materiis a corpore alienis erat tibi. Quapropter spiritus Domini in ambas flavit ut spes de ambabus ad Dominum verteretur. Confide ergo in Domino, ut decet cogitationem tuam, et iucunde sustine voluptatem paupertatis et morborum, in illa quidem usque ad Lazarum, in hac vero usque ad Iobum, et in utraque usque ad
*p. 20. laudem a Deo *obtinendam*. Ipse in gratia sua ornet *gloriose honorem senectutis tuae desiderio pulchro mentis tuae pro gloria ipsius Dei et solamine nostro. Ego enim in viam quam nosti coepi incedere. Ora igitur ut secundum voluntatem Domini nostri regaris et videam te in pace cum laetitia a Deo.

XV. — Excusatio ad catholicum, de reprehensione propter fugam.

Sanctissimo Patri nostro pio Mar Išōʿyahb [1] catholico patriarchae, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Satis, ut opinor, infixus est in eis quae iam existimata sunt typus demonstrans inopiam mentis meae in rebus quae acciderunt et cur non contra sensum finis in parte dubii positus est. Quod autem finem qui praevidebatur definiverint quidam dolorem, res est manifesta multis. Sed mendax inventa est, ut videtur *mihi*, *in* hoc casu vis vocis, et non solum contrarium sensum, sed etiam contradictoriam genuit mutationem opinionis. Ego vero, cum post multos dies praeteritos exemplum patientiae meae tulissem, usque ad acumen necessitatis, permansi in spe. *Cum abire coactus fui*, demonstrationem actus mei in epistula reliqui ut exponatur coram persona Paternitatis tuae, et in hoc monasterio, ut in aula ecclesiae Kōkhē manens ad audiendum iucunde quid Deus iuberet per os Pietatis tuae, manifeste paenitentia aequa usus sum *coram* pedibus tuis in argumentum *doloris mentis meae*. Cura ergo, o caste, ut cum opus quod te decet perfeceris propter gloriam Dei, etiam me ut filium carum quiescere sinas, et omnibus qui Deum timent in quocunque loco laetitiam eximiam impertiaris. Quod *quidem tibi magis* quam

[1] Išoʿyahb II, Gedalensis, catholicus fuit ann. 628-644.

alii congruat et conveniat zelus *pro veritate, causae multae praedicant, quas definit conscientia multorum. Dispensator bonorum nostrorum prosperam reddat per te veritatem doctrinae suae pro gloriatione communi, amen! *p. 21.

XVI. — Salus data amico fido.

Honoratissimo Patri nostro, pio Mar Theodoro, episcopo, filius tuus Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Si victrix posset esse in omni re voluntas imperiosa quae cupit pulchrum, o Pater, nihil impediret quominus prae omni negotio occursu caritatis Paternitatis tuae secundum desiderium animi mei nutrirer. Appeto enim hunc *occursum* ex ordine et ex specie : ex ordine quidem, propter commendationem pristinam in epistula, quae decore adoptionis filiorum ut familiarem Paternitatis tuae me constituit; ex specie autem, propter hilaritatem voluptatis eorumdem typorum mentalium, quia in una concordia intellectus pro una veritate communi sumus laudabiles, et pro eadem hereditate bona Patrum beatorum filii diligentes *sumus.* Quapropter, laudabilis est sapientibus talis communio, ex qua in occursum personae tuae properare cupio. Quamvis enim res adversae quae evenerunt impediverint nunc adventum meum illuc, attamen confido in Domino nostro ut mox eam. Prospere autem succedam in spe mea, si per petitionem orationis tuae auxilium opportunum acceperim.

Aliquot autem per dies cunctari debeo, donec visitaverim dispersos Assyriae extra ovile hoc in quo sto. Quod autem merear exagitari huiusmodi sorte confiteor. Non enim antehac feci quid dignum gratia *Dei erga me, et ideo fructum neglegentiae meae *p. 22. legi nunc in perturbatione cotidiana. Deo gratias *ago* qui in omni re auxilium nostrum ducit. Ora igitur, quaeso, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam.

XVII. — Ad Fratres in monasterio Izala qui se separaverant a fratribus suis et eos laeserant.

Fratibus castis qui in monte Izala hereditatem Patris nostri Abrahae ministerium spiritus sedulo curant, amantibus Dei et servis virtutis, dominis et fratribus meis, Ḥabibae, Dazanaia, Gre-

gorio, Lucae, Arzīšōʿ, Stephano, Iazdīn, Bardōq, Simeoni et fratribus castis qui cum eis sunt, Išōʿyahb frater vester: in Domino nostro salutem.

Multam spem mendacem passus sum, ut videtur, per longos annos, o viri pii, quod fiduciam meam in vobis supra omnem timorem reposueram. Nunquam crediderim quod prostratos rebus adversis quae accidunt viderem vos sicut nunc, quia e multis exemplis non decebat vos vinci tentationibus quas Satanas hostis communis efficere solet. Nunc vero, postquam bis ego scripsi vobis, vos autem siluistis sine responsione, intellexi quidem malum exspectandum, idipsum quod nunc audivi vobis patiendum accidisse. Idcirco, cum gemeo dolore, verbis aequis utor.

Quis ergo vineam illam praeclaram, quae florebat fructibus iustitiae, cum fregerit septum securitatis eius, calcabilem reddidit *p. 23. omnibus pedibus impuris perversorum? *Quis ergo turrim illam validam, munitissimam, sicut per cuniculos occultos quassavit et humi gloriationem roboris eius prostravit? Quis ergo est ille qui in turma bellatorum spiritus, qui saepius ex impetu dominatorum malorum victoriam veritatis eripuerant, nunc in media pace familiari scissionem familiarem genuit, et sicut per gladium acutum membra praecipua ex ordine instructionis eorum amovit? Quis ergo est ille qui, cum atrium arcis intraverit et eam armis exspoliatam invenerit, divitias eius rapuit? Et, ut apertius loquar, quis ergo ille est qui filios caros Abrahae iusti, et heredes bonos Dadīšōʿ probi, et discipulos castos Babai illustris, quibus unum et commune quodcunque erat: fides et directio et anima et sermo et cuncti mores boni, hodie coegit misere alios coram aliis dolere? Sed manifestum est hominem inimicum hoc fecisse[1], id est daemonem malum et hostem hominum, illum qui primum in paradiso semen inobedientiae iecit, postea in campo homicidam novum ostendit et in omni generatione per ministros malos corruptiones malas in naturam nostram immisit; sicut nunc etiam non minus se exaltat, cum in vos ut in pacem Deo caram corruit et scidit concordiam vestram gladio fraudum suarum, et praevalebit forsan contra veritatem vestram victoria subita.

Vereor igitur, o viri pii, ne in Izala sicut in Dothan[2] stem et videam fratres castos meditantes dolos contra illum qui Israeli ca-

[1] Cf. Matth., xiii, 28. — [2] *Gen.*, xxxvii, 17.

rus erat, et eum ex cellula ut ex cisterna extollentes et longe ut in Aegyptum crudelitate *iniqua* mittentes. Utinam eum solum, non autem et illum qui ut Ruben misertus est, et illum qui ut Iudas prudens fuit; propterea fractum est cor meum *et stupor commovit *p 24. me, praesertim quia adhuc crescendo it odium, et hoc malum placet et inertes manent filii Iacobi in dolore amicorum suorum, nec praevidebunt apparitionem in Aegypto ante diem ignominiae, qui non effugiendus est.

Scitote ergo, o viri fratres, quod magis quam haec turpis est coram peritis nuditas lapsus vestri. Amici quidem ingemiscunt: inimici autem rident; me plus quam omnes torquet maxime exspectatio calamitatis futurae, in qua impugnanda vos, ut putabam, habuissem pro ducibus fidis in certamine, et nunc incertitudinem et tremorem animi debilis *habeo.* Quis igitur petat sanitatem ab aegris? Quis vero ab infirmis petat fortitudinem? Quis rursus a discordibus petat concordiam? Vel quis non deficiat a sua spe quando duces belli videt contemptos misere alios ab aliis? Utinam, cum talem personam causam perturbationis ceperint, tenuis forte fiat calamitas! Sed caeco impetu et sicut in tenebris virtutem aliorum alii vituperant.

Forte non eadem fides fuerit illi qui vexatus est et vobis quoque? Fortasse etiam maxime. Forte non eadem caritas illi qui vexatus est? Fortasse etiam maxime. Forte non idem zelus illi qui vexatus est? Fortasse etiam maxime. Forte non eadem certamina pro fide illi qui vexatus est? Fortasse etiam maxime. Forte non eadem vis sermonis et disputationis in argumentis pro vero adversus eos qui coegerunt vos olim e veritate labi? Fortasse etiam maxime.

Cur igitur nocturna sit pugna vestra, cum causam scissionis non habuistis manifeste in scissione quam iniecistis? Sed fortasse *di- *p. 25. cetis: Ab antistibus ecclesiae eiectus fuit, et ideo nos quoque eum removimus. Sed decebat vos inquirere de causa. Patientes enim alii aliorum fuistis usque adhuc, et sicut a membris (*collegis*) ordinem consensus oportebat a vobis servari. Potuissetis autem, si voluissetis, metropolitae et patriarchae vim amicitiae vestrae ostendere intercessione pacifica et, si necesse fuisset, paenitere cum fratribus vestris quantum rectoribus ecclesiae videretur utile; promptos et diligentes debuissetis vos ostendere pro illo qui dimissus est, praesertim cum eadem in causa vituperationis vos quoque includeremini. Nunc vero non solum non festinavistis Seleuciam currere

ad comparandam vobis pacem a patriarcha, sed ne metropolitam quidem intercessionibus propter eum defatigavistis. Fecistis autem quod indoli acerbae quae gratis laedit congruit et, cum ille alia de causa dimissus esset a rectoribus ecclesiae, vos adiecistis accusationes alias iniquitatis iaciendo acetum super chordas. Non nostis quod amare staturi estis postremo : etsi non nunc, tamen in die vindictae.

Idcirco expergescimini, o viri pii, et considerate quod in os periculi stamus et sumus sicut aquae, quae humi effunduntur nec recolleguntur. Nihil est in cunctis dolis satanicis quod non sub imperio vestro sit, si vincere vultis; nec est transgressio quae correctionem non patiatur, si curare vultis, nec est offendiculum quod persuasioni non obnoxium sit, si pacem diligitis. Pacifice igitur agite alii cum aliis et investigate causam perturbationis. Videte utrum
* p. 26. ex *operatione erroris orta sit, an ex indole humana. Potestis autem, si recte sapitis, scire quidnam Deo placeat; hoc facite et vivatis. «Desinite ab ira et derelinquite furorem; nolite aemulari ut maligneritis, quoniam qui malignantur exterminabuntur; sustinentes autem in Domino ipsi hereditate possidebunt terram[1].»

Scitote praesertim quod, quando daemon irae in animum dominatur, primum omnibus virtutibus exuit hominem ipsum, et deinde potest socium suum in parvis rebus laedere, qui inhabilis fit ad discernendum pulchrum a turpi et commodum a damno, sed omnino ad malefaciendum solum properat ut insanus. Cavete igitur, o viri fratres, ne huiusmodi calamitate vinctos vos ostendatis.

Audivi etiam vos iam fecisse quod ad clamorem contritionis commovet peritos. In libello enim iniquo, ut dicunt, firmavistis excommunicationem fratrum vestrorum. Vae! Vae iniquitati vehementi! Vae tyrannidi barbarae! Vae crudelitati effrenatae! Quis iniquitatem illam scripsit? Scripsitne antea *iste* quid aliud quod gloriae Dei inserviret? Movitne animum suum ad laborandum contra haereses quae pugnant adversum veritatem? Perturbavitne coetus malos eorum qui corrumpunt mores eximios? Redarguitne scripto et dicto eos qui variis modis errorem vanitatis dolose moliuntur introducere in ecclesiam Dei? Vel forte haec fuit institutio eius prima et ultima, ut afferat exemplum execrandum zelotypiae suae in fratres

[1] *Ps.* xxxvii (xxxvi), 8-9.

suos filiosque matris suae, quorum gloriosam veritatem etiam ora hostium coguntur proclamare?

Igitur si vos omnes, o viri misericordes, estis qui iniquitatem hanc conspiravistis committere, *gratias muneri *Dei ago* quod non *p. 27.
praefecit vos in ecclesia sua iustis gregis; sin minus facile laeseritis eos qui correctione egent, cum haec sit longanimitas benegnitatis vestrae in correctione fratrum vestrorum! Si vero unus est qui scripsit, et vos omnes annuistis assentiri, in formidinem[1] nos adducit facinus, ne etiam aliis damnis magnopere vos afficiat per assensum cunctis malis, et prae aliis per dedecus turpe, quod a Babai, filio Ionan, aut iam passi aut mox passuri estis, ut puto. Iste enim, cum maxime corrupit usque adhuc vias Domini et vias etiam vestras, paratus est nunc, quasi per sollicitudinem zelotypiae vestrae, vehementius contumelia afficere quoque sanctos qui recubuere in Christo, et ecce qui vobis ut heredibus probis reliquerunt divitias virtutis suae, affliguntur, nunc a vobis misere, ut patres exsecrandi, quia non valuerunt scilicet acquirere sicut vos sapientiam eximiam quae a vobis comparata est. Idcirco beati sunt revera et etiam miseri : beati quidem, quia cum omni gloria virtutis consumpti sunt in certaminibus iustitiae et discesserunt ad Dominum nostrum; miseri autem, quia tales filios reliquerunt heredes coenobiorum suorum.

Haec vero coactus sum dicere ex dolore luctuoso qui me invasit cum audiverim quae fecistis. Non enim putaverim fieri posse ut totum coetum Fraternitatis vestrae vinceret calamitas haec ut infirmos, nec invenirentur inter vos ne pauci quidem amantes pacem
*cum veritate et consiliarii bonorum. Quod si, absit! vos omnes *p. 28.
tenet haec calamitas, ut somnus sopitos, audite a me, vos quaeso, verbum tantum quod vos e somno excitabit : «Consurgite ergo, consurgite, o viri fratres, consurgite diligenter sicut in diebus antiquis, et induimini fortitudinem brachii Domini[2]», nec perdatis fiduciam quam habetis, cui servatur praemium multum.

Mementote ergo dierum pristinorum, in quibus pugnam magnam pertulistis crudeliter pro veritate, cum contumelia et afflictionibus, et spectaculo fuistis, et etiam consociati estis cum viris qui haec pertulerunt, et superbiam potentium cum gaudio sustinuistis, quia scitis esse vobis in caelo praemium eximium et sempiternum. Hanc

[1] Ad verb. «in spem malam». — [2] Is., LI, 9.

igitur totam gloriam virtutis studet ut rapiat a vobis Satanas hostis communis.

Cum multum id curavit per longos annos, non potuit per manus extraneas vobis *nocere sicut volebat*. Ecce multos incitavit in vos in omni tempore, qui robusti erant fortitudine et prospere succedebant in mundum, at desierunt ipsi sicut desierunt; vos autem quales eratis mansistis in gloria praeclara usque adhuc. Nec etiam ex vobis ipsis potuit quidem hic inimicus hominum suscitare sibi *ministrum* qui voluntati eius serviret, donec procul a vobis discederet et daemon septentrionalis ei inveniretur, qui nominatur Isaac, quem turbavit fumo malignitatis suae et miscuit eum coetui vestro pacifico ad perditionem ipsius et infortunium vestrum. In eo tanquam in ministro diligenti completionem desiderii sui satis invenit et invenire sperat Satanas inimicus generis nostri.

Ne igitur det Dominus iniquo desiderium eius per vosmet, o viri pii, nec propositum eius bene succedere *sinat!* Sed obruat iniqui-
*p. 29. tatem labiorum eius, ut carbonibus *peccati sui uratur. Vos autem purgamini e pulvere odii et purificamini e pulvisculo inimicitiae, et expergescimini e somno negligentiae. Sicut filii lucis vero, ita incedite[1], et perseverate in veritate Dei, ut perseveret in vobis Deus. Custodite diligenter depositum patrum vestrorum, ut sitis filii hereditatis sanctitatis eorum. Ne confundamini ab eis in die probationis. Egredimini post fratres vestros et collegite eos, et si *necesse est* pro eis dolere, ne recusetis donec reddideritis eos participes habitationis et consortes caritatis. Tempus enim malum surrecturum est in nos paullo post, in quo adiutoribus multis indigebitis si estis amatores fidei et amatores veritatis, et si non una omnes virtutes perdidistis. Mementote igitur, o ministerii mei participes, mei consortis caritatis vestrae, et iudicate me pulchre sicut ego vos *iudico* pulchre. Respondete mihi per epistulam veritatem animorum vestrorum de omnibus quae scripsi vobis. Scribite mihi vero, ut placebit vobis, aut vos omnes simul, aut quisque seorsum, nam ego talis sum vobis nunc qualis eram quoque antea, id est filius et frater et miserrimus socius operum et sermonum vestrorum in omnibus quae placent voluntati Dei et removent ab iniquo eum qui invocat nomen Domini. Ipse gratia sua perficiat vos in omni actu bono, ut faciatis voluntatem eius. Estote firmi in Domino nostro.

[1] Cf. *Eph.*, v. 8.

XVIII. — Ad Fratres in monasterio suo, de institutione directoris.

Deum amantibus Fratribus caris et dilectis, Simeoni, *Iohanni, *p. 30. Qamīšōʿ, Bar Denḥa, Danieli, Berazsōrīn, Bar Nun, Išōʿzka, Aphnīmaran, et omnibus fratribus sanctis monasterii Bēth ʿAbhē nominatim et coniunctim, Išōʿyahb frater vester : in Domino nostro salutem.

Ego exspectaverim, o viri fratres, e sedulitate amicitiae vestrae ut mihi nunciaretur decessus gloriosus directoris illius sancti e vita ista carnali ad portum vitae aeternae. Quod si non plene morem communem noscerem, nec subditus essem maxime caritati educationis, facile forsan offensus essem huiusmodi contemptione, non propter ordinem et nomen, sed propter fraternitatem et educationem solitam. Quoad autem istam incuriam quam ostendistis hac in re contra legem caritatis divinae, o fratres amantes Deum, Dominus noster sit condonans et misericors, et firmet semper corda vestra in amore veritatis, amen!

Quia vero audivi adhuc in cruciatu dubii de negotio directionis vos esse, et id quod in testamento aeterno per verbum vivum vobis a patre sancto traditum est, non statim firmiter vos amplexos esse, sed iam etiam aliena a voluntate *eius* inter vos videri, cupiebam me ipsum ad vos ire ut simul consulamus quid coenobio commodum et nomini Dei sancto laudabile esset. Sed cum id facere non potui, quia iam coepi iter ingredi ad patriarcham, visum est mihi epistula festinationis plena ad vos uti, secundum legem caritatis spiritalis.

Mementote igitur, o viri pii, mei consortis caritatis vestrae et sodalis morum vestrorum. Necesse est harum rerum mentionem facere quod, ut videtur, infirma sint negotia fraternitatis. Num *nominatio ad episcopatum me alienum a vobis reddidit? *p. 31. Num ordinatio sacerdotii a coetu monachorum me segregavit? Num mutatio loci mutationem mentis genuit? Num res quae coenobio utiles sunt et gloriam Dei augent quisquam e vobis magis quam ego unquam cogitavit, aut locutus est, aut egit? In insipientia dico[1] : Quantum studeat quidam e vobis rebus quae decori et honori vestro congruunt, tantum ego quoque studeo non pari sed multo magis laudabili modo. Cur ergo in negotio de quo nunc agitur, quod

[1] II *Cor.*, xi, 21.

magis quam aliud cura dignum est, victi fuistis neglegentia sueta, ne vocaretis me fratrem vestrum ad consilium commune in tempore opportuno? Apud me enim erat quoque testamentum vivum quod confectum est ore benedicto patris nostri sancti, per verbum verum, paucis diebus ante decessum eius, de eo qui utiliter succederet in locum ministerii eius, et de quo, ut ipse audivi, die etiam decessus sui iussa dedit.

Cum enim timeret ne subito casu decederet et impediretur quominus diceret quid agendum censebat, prius tradidit mihi familiariter verbum hac de re. Non enim putabat fore ut sine me vobis suaderetis aliquid facere post decessum suum, sicut vos nunc neglexistis quod decebat. Attamen, cum ego custodirem in mente mea verbum patris nostri benedicti ad dicendum id in suo tempore, gratia Dei, quae duxit eum pacifice in via vitae, quietem animi dedit ei *permittendo* ut vobis quoque id diceret die decessus sui. Ab eo pacem longam habetis et iam vobis princeps et director est, si quidem illum, quem ipse secrevit et vobis praefecit, comparavistis
* p. 32. pacifice principem *et directorem; nemo ergo censeat quod sine armis occultis orationis eum dereliquerit et decesserit, sed ex quo ei attendit et verbo eum selegit, Dei ope ei commisit disciplinam suam piam. Si quis a sollicitudine huius *viri* se alienum ostendit sua voluntate, timendum est ne perdat auxilium orationis iusti. Si etiam quid adversum cogitat, cui ergo ex peritis non videatur vilis et contemptibilis, praeter dolorem animam cruciantem qui sine commodo illum contundat? Absit a filiis puris patris iusti, et a discipulis castis ducis sancti, et a fratribus dilectis et condiscipulis meis, ut quid simile omnino patiantur, vel audiantur inter eos alia quam ea quae pulchra et vitae proxima sunt praebentque auxilium coenobio et gloriam nomini Domini.

Solliciti ergo estote, o fratres dilecti, de fratre nostro amante Deum Mar Iohanne sacerdote, cuius virtutis probatio septuaginta annos plus minus data est, e quibus triginta in solitudine sine culpa et ceteros priores in vita proba institutionis scholaris *egit*, et qui apud vos, praesertim apud senem honoratum inter vos, consociatus cum patre nostro benedicto susceptor et institutor fuit, et nunc propter haec omnia coronatus est iussu patris nostri corona directionis. Hunc vero tanquam a Deo selectum in electione eximia accipite in Domino cum omni gaudio, sicut filios puros Dei *decet*, et manibus et labiis vestris, praesertim quidem cordibus, firmum facite

apud eum opus directionis, Deo iuvante. Deus pacis sit vobiscum et retineat vos in monasterio quod habitatis, sine perturbatione per cunctos dies vitae vestrae. In homine vestro interno[1] habitet Christus *fide et in cordibus vestris caritate, cum vera essent radix et fun- *p. 33. damentum vestrum, ut possetis assequi cum omnibus sanctis spem vitae aeternae per gratiam et misericordiam Domini nostri Iesu Christi : cui sit gloria in saecula, amen!

Sed quia solet inimicus virtutum nostrarum iniicere semina astutiae suae in agros puros, iuste metuendum est ne inter vos quoque, ut in coetum apostolicum quod contrarium concordiae est immittat. Curate ergo, o fratres, si quis vestrum peccato tali praeoccupatus sit et scindat concordiam vestram non assentiens directori amanti Deum qui a Domino nostro selectus est vobis, ut vos qui in spiritu estis corrigatis eum spiritu humili, donec eripiatur a laqueo satanico in quo captus est voluntate sua; et uno spiritu perfecti sitis ad opus iustitiae, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae[2] pro gloria Dei ipsius et solamine nostr[o].

Ego vero, quia novi multitudinem rerum adversarum quae occurrere solent in huiusmodi negotiis, et quia rursum ibi non adsum ut contra unamquamque earum quae contrarie accidant inter vos possim pro facultate mea correctionibus utilibus uti, ideo cogor verbis brevibus ad vos scribere, non ut director et praefectus, sed ut frater senior. Si quis contendat adversus directorem pium qui iussu magistri nostri[3] selectus est vobis per voluntatem Dei, ne remaneat iste in coenobio Bēth ʿAbhē, ne perturbet fratres suos et damnum patiatur ipse, sed in pace et salute abeat sine ira ad locum ubi inveniet quietem et commodum. Si vero accidat ut in insipientia possit dicere contra haec verba de me : «Quis est sane *iste qui haec nos iubet facere?» discet postea ex eventibus ipsis *p. 34. et obediet, si Deum timeat. Fortasse etiam paenitentia pauca eget ad inveniendam libertatem filiorum pacis. Ad pacem nos vocavit Deus, o viri fratres, idcirco ad pacem et ad aedificationem alii aliorum properemus.

Sufficiant vobis ista pauca quae scripsi ad vos, ut noscatis alacritatem animi mei in cupidine boni vestri, et quanta sollicitudo mea sit, ut bene agatis et bene loquamini, et Deus glorificetur in

[1] Cf. II *Cor.*, iv, 16. — [2] Cf. *Eph.*, iv, 4. — [3] *Rabban* «magister noster» de praefecto coenobii dicitur. Hic de Mar Iacobo praefecto defuncto coenobii Bēth ʿAbhē agitur, ut ab initio epistulae liquet.

vobis et ego quoque gaudeam. De hoc autem negotio quod decebat in epistula certiorem feci patrem nostrum pium metropolitam. Rursum etiam patri nostro patriarchae id verbo vivo indicare propositum mihi est, iuvante Deo. Vos quoque, cum haec noveritis, studete simul ut custodiatis concordiam animi vinculo pacis et estote excellentes in servitio Domini : ipse gratia sua perficiat vos in omni opere bono, ut faciatis voluntatem eius in omni tempore, amen! Orate quoque pro me, ut reliquos dies meos in vita quae placeat voluntati Dei agam.

XIX. — Admonitio tenuis ad eum qui nuper constitutus erat in directione monasterii.

Casto et amanti Deum, fratri nostro honorato, Mar Qamīšōʿ, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Accepi et legi epistulam quam misisti, gavisus sum etiam in adventu fratrum ad me, et propter sanitatem vestram gratias Domino nostro egi. Quominus perficerem, ut rogatur, adventum meum illuc, multitudo negotiorum hic impedivit, praeter res adversas quae in
* p. 35. medio sunt. Si autem aperiatur mihi porta * a Domino, paratus sum proficisci. Ne autem his quae in exspectatione angustiarum torquent quidem mentem coenobitarum, sicut mihi scripsistis, cito commoveamini tanquam inexperti et homines modicae spei : « fidelis enim est Dominus in suis verbis[1] » et « dives in omnes qui eum invocant[2] », sed solummodo in concordia quae scripta est. Si quidem secundum rogationes *moderantur* vicissitudines *rerum* gratias muneri eius (*Domini*) *agemus*, si autem aliter, et cum universis tum etiam gratias.

Quod vero scripsisti mihi de debilitate tua ad ministerium Fraternitatis quod tibi impositum est, ne propter hoc quidem desperes in rebus quae accidunt. Non enim per nosmet prospere succedunt viae nostrae, etiamsi simus sedulissimi, sed per eum « qui super omnia potens est ad faciendum nobis plus etiam quam rogamus aut intellegimus[3] ». Ne ergo commovearis sive verbo sive fama, modo te servum multorum esse tibi proposueris; sed sustine et esto patiens et longanimus, etiam usque ad Ezechielem, si contigerit. Non enim carebit mundus huiusmodi *casibus* dum nos omnes

[1] *Ps.* cxliv, 13. — [2] *Rom.*, x, 12. — [3] *Eph.*, iii, 20.

erimus homines et filii terrae. Sed *possibile* erit proficere et prodesse, immo quietem dare et accipere, cum regula spiritus fuerit dux tibi et subditis tuis. Si quis scandalizabitur, Dominus curabit eum. Noti sunt filii pacis et qui vivere volunt. «Cognoscit quoque Dominus qui ipsius sunt[1]. Expecta eum et custodi viam eius, et exaltabit te ut terram hereditate capias[2].» Fiduciam de quocunque homine ad Dominum converte, et vives.

Quominus narrationem vitae castae patris nostri benedicti conscribam, ut me rogavisti, impedior ipse nunc, nec possum fuse dicere propter multitudinem avocamentorum mentis cotidianorum, et ars scribendi quiete animi eget. De vicino autem propter quem scripsisti mihi, *si quiescere vos non sinit, abhinc cura, ne cum *p. 36.
firmetur radix eius perturbet vos cotidie. Qui id *corrigere possit*, si velit, metropolita solus est, et si neglexerit, ut solet, scitote quod oppressionem vestram ipse velit. Igitur alterutrum agendum est, vel probationem sustinere, vel ad patriarcham properare; sed quidnam ex alterutro selegatis, cito selegite. Superest ergo ex omnibus *ut dicam* : cavete et iterum cavete, et magis cavete et semper cavete. Vale et ora pro me.

XX. — Responsio ad dualitatem personarum quae ei scripserant altera in nomine alterius.

Illi qui pulchre in quavis re pulchra insignitur, amanti Deum Mar Iazdšapōr, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Te quidem, o amans Deum, antequam ad eum qui scripsit ea quae legi[3] scribam, laudo propter sollicitudinem reprehensionum tuarum, quod in lege caritatis tam ardenter patiens sis, quam ante dolores partus sane infantem rursus cupis; et ecce e longinquo utraque res facilis est; matri autem, non solum mutato ordine *naturae*, sed etiam secundum ordinem in periculo est et aegre. Facile est enim bonum velle, ut scriptum est; sed non est facile id facere, ut quoque scriptum est[4].

Ne autem nimium laboremus in huiusmodi rebus, dicemus, cum simplex sit res de qua agitur : Quid, o sapiens, volebas? ut lapidem illum super quem aedificium spiritale positum est in an-

[1] Cf. II Tim., ii, 19. — [2] Cf. *Ps.* xxxvi, 34. — [3] P «legisti». — [4] *Rom.*, vii, 18.

gulo septentrionali, quasi per fundam in rupem haeresum iaceremus, et exspectaremus dolorem contritionis quem sensus audiendi *p. 37. quasi ad caecos e longinquo *porrexisset? An forte, cum res non ita se haberet, calamitatem quam imaginantur per frictiones longanimitatis cohiberemus, comparantes operi nostro ordinem qui ei conveniat? Puto id laudaturam sapientiam, si vituperationi obnoxia non sit victoria non integra. Quod vero non accusanda sit per me ipsum conscientia invidiae, puto te credere; et quod non acciderit in aliquos, seu in nos omnes, res adversa quae pulchritudini cogitationis prioris noceret, hoc a te per me credendum est. Adiuva ergo in cunctis cogitationibus bonis eos qui ad exitum perducunt quod diligis.

Invenies quidem in opere, si curas, fiduciam efficacem a nobis omnibus in tempore aequo, sed tibi quasi dolenda iam sunt ista. Tu autem qui fortiter reprehensionem caritatis sicut ἐν συλλογίσμῳ διαλεκτικῷ componis, unde fit ut usque ad reprehensiones silueris, vel sicut proprietate doloris *captus* a causa non inceperis? Urgebat enim te vinculum illud laudabile e propinquo participem certaminis institui, et pro quibusdam linguam esse, pro aliis autem animam, pro vulgo verbum, pro temet solventem debitum quod existimatur. Si per cuncta haec *fiat* peractio certaminis instantis, gratias muneri Dei. Si vero res praesens sicut nunc *est* quoque *manet*, non iam liber a reprehensione, immo reprehensor vocem attollens videberis. Ne itaque, cum excusationem multitudinis reprehensionum tuarum in tua epistula *prolatarum* a me habueris, parvipendas paupertatem meam, id est pusillanimitatem patrum communitatis, aut forte paenitentiam modicam de hoc quod pulchre distinctum, pulchre auditum, pulchre dictum et pulcherrime opta- *p. 38. tum est, idcirco eodem *gladio increpationis patiaris libere per linguam liberi. Cur autem contumeliosa videtur tibi servitus ecclesiae Dei? Contumeliosum ergo est quoque opus, absit! Convertere ad librum spiritalem et invenies *ibi* laudem eius.

Quid ergo rursus? Illius qui cubat in insidiis in via et mordet talum ad prosternendos honorabiles estne vulnus tuum, quod accidit amanti Deum fratri nostro Iohanni, ita ut nunc non dilectus et laudatus, sed maledictus et contemptus a familiaribus suis videatur? O crudelitas! Simul enim et illum in vincula Satanae iniecisti et nos ministros peccati esse ostendisti, et opus Dei, propter rem adversam quae accidit, ministerium malum proclamavisti. Rei

istae sufficiat iactura sua, ut dictum est[1], mulier menstrualis sit in menstruis suis.

Quid ergo rursus? «Velim, ais, noscere causam contemptus personae.» Velisne matrem invenire proli quae non est, aut forte dilationem gubernationis nomines contemptum? Ego vero non solum *cum res se habeat* ita, sed etiam si alius ac is ad ministerium illud quod in promptu erat accessisset, non idcirco eum pro abominando haberem; cum Ioseph qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, inter apostolos video[2], quamvis non sit e numero duodecim *apostolorum*; et si ita non *esset contemptibilis*, quanto magis cum non ita sit.

Quid autem rursus? «Satis sane consensus aliquorum solummodo, qui sine culpa sint in nomine christianitatis.» Satis erat inquam et ego, si creditus fuisses in quo te credi decebat, non vero in aliis rebus; sed adstantibus ex illis qui consensui assentiunt duobus vel tribus qui etiam nominis modici erant, quomodo non in aerem ungeretur *praeses, nisi per paucos adstantes pro *p. 39. multis aliis remotis. Et aliter fieri consecrationem quis suaderet et non inveniretur stultus?

Rursus autem quid? Velim scire etiam occulte quae culpae inventae sunt, et docerem te publice inventionem talem in natura nostra non difficilem esse; attamen Dominus naturae nostrae e ministerio ecclesiae suae non eiicit genus peccans.

Rursus autem quid? «Si sane unus aut plures ex eis quibus consecratio credita est consecrationem impediverint, ab illo qui existimabatur se avertere debuerint.» Pulchrumne est dubii dimidium? Non sane pulchrum est *dubium* totum. Hic vero, cum misereor, curo dolorem opinionis; et pro certo habeas per me, quod non erat Satanas, nec casus malus, nec consilium a timore Dei alienum.

Rursus autem quid? «Ut video, occulta quae ventura erant ostendit mihi exitus eventuum in rebus quas praedixeram accidisse. Evanuerunt subito totae opes hostis mei, et apud eum qui persuasum habebat nullum exitum promissionibus fore superfuit condemnatio persuasionis suae.» Ego vero ut homo super spem plantavi et ut homo super spem irrigo. Ille autem, qui crescere facit plantam talem, qui dat fructum spei agricolae, Deus est[3], et si

[1] *Lev.*, xv, 33. — [2] *Act.*, i, 23. — [3] Cf. I *Cor.*, iii, 6.

perfectum et secundum consilium dederit eum, gratias muneri eius, si autem contra consilium et aliter, ita quoque gratias providentiae eius.

Rursus autem quid? « Perseverate sane ad perficiendum fundamentum quod posuistis; ne sit locus linguis solutis iaciendi accusationes solitas. » Quid ergo faciendo videtur tibi nos filios libertatis
*p. 40. reprehensiones huiusmodi vitaturos? Sicut enim in id, ita *et in illud prompta est lingua accusatorum, et utrumque pro bono sane! Quemnam igitur ex hominibus divinis vidisti a linguis istis evasisse? Num forte patres? forte apostolos? forte prophetas? forte Dominum nostrum? forte Patrem eius? Evidenter ne unum quidem. Iam vero peccatoribus est consolatio ex talibus rebus. Sed haec *dico* tibi, o accusator diligens, adversum ea quibus, ut baculo caritatis, amicum percutiebas in epistula tua. Quid fuit, quomodo fuit, cur fuit? Si audio quae publice dicuntur, pro certo habeo ea quoque quae occulta sunt. Vel si velis scire, ore ad os loquemur, quando Deo placebit. Nunc quidem solummodo de hoc cura ut, quantum fieri potest, infirmum nanciscatur negotium ibi frater noster amans Deum Mar Iohannes, quamvis non universalis, sed tantum partialis fuerit consensus, et pars eorum *consenserit*. Quod itaque non occurerit cogitatio aliena in mentem eorum qui rei praepositi erant, habeas pro comperto et crede, sicut iam semel scripsi. Stude maxime tam tu quam omnes similes ut voluntas nostra voluntati Dei placeat. Ipse autem Deus misericors, qui in omni tempore agit pro nobis plusquam oramus et optamus[1], coronet laborem sollicitudinis nostrae, cum erit dignus gloria nominis eius. Estote firmi in Domino nostro.

XXI. — Ad eumdem de eodem ab eodem : magnam salutem.

Iudicavimus pulchre, quamvis iudicati simus pulchre[2]. Quod autem nihil concessimus spiritui, non multum pulchre est, immo
*p. 41. nullo modo. Nos reprehendi scilicet iustum est, cum robore *quodam caremus. Quando enim omnino sufficimus in certamine quod instructum est, victores iam pridem in hac re *sumus*, quanquam non corona ipsa ornati. Spiritale itaque est certamen, o vos! spiritalis est et fructus eius; et saepe inveniendum est reprehendens

[1] Cf. *Ephes.*, III, 20. — [2] *Alludere videtur* ad Matth., VII, 2.

sollicitudinem. Cuius autem, nisi eorum quibus spiritus ipse visionem occultorum credidit? Et quis enim scit num sicut Samuelem nos quoque reprehendit? Ille qui hisce rebus assuetus est? Et hoc, etiamsi vinceret adversarius instans, qui fortasse non potest vincere, ut adhuc spero. Quomodo enim fieri posset ut contra conscientiam in rebus manifestis adversarius religionis Dei sit ille qui colit Deum, nisi forte superetur confusione, de qua dictum est quoque eam parere peccata[1], et ea *confusione* sicut vi pusillanimitatis ad servitutem ignominiosam rapiatur. Cum id ipsum nuntiatum fuerit cui rei obsecutus erat, quod visum est scripsi ad eum ne vocarer ad impositionem manuum, nec solum quod visum est, sed etiam quod utile erat ad excusationem eius ne fiat consecratio, si vellet hoc uti. Si autem a via timoris Dei ad vagationem astutiae declinaret, bene ageret contemnendo quae scripsi, ut solus faciat quod non decet fieri. Pulchrum etiam est nobis, e longinquo, auditione tantum videre quae prave aguntur. Confidete ergo in Domino, o viri pii, et si acciderit ut ab aliquibus res adversa fiat, eiicite a vobis scandalum quod omni modo oriturum est ex huiusmodi rebus; cum memineritis quod sumus pulvis qui hodie superbit et paullo post spargetur[2]. Orate ut digni simus misericordia in omni tempore et ducat nos gratia Dei quocunque. — Explicit.

XXII. — *Honorabili, eximio et amanti Deum Mar Iazdegerd, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem. *p. 42.

Me negotia permagna conficere festinantem attigit adventus epistulae tuae, o amans Deum, et cum pulchra ratione in longinquum sedulo vocarer, perstiti, ut decebat, donec sanctuarium divinum medio agro zizaniorum infixissem, iuvante Deo. At, post adeptionem multorum pascuorum, ad locum habitationis meae reversus sum, et statim, antequam moverer ad res urgentes, lectionem epistulae tuae iteravi. Theoriam in ea *contentam* de anima eiusque motibus et de corpore eiusque consuetudinibus laudavi usque ad mensuram argumenti. De raptu autem eius ad materiem laudatoriam dolui, ut decebat, quia necessario sicut e vero in imaginem alienam cogebatur. Cur, o amans sapientiam, mihi sicut alteri im-

[1] *Ecclesiasticus* syr., ed. Lagarde, iv, 21 (Vulg. iv, 25). — [2] Cf. Ps. ciii (cii), 14.

pertitus es incaute donum vanae gloriae? Cultori enim sapientiae, si tibi sic videbar, satis erat nitor solus doni stirpe nobilis a parte amatoris sapientiae, ut ita revera firmiter crederetur virtus altissima, quae ab eo[1] apud hominem debilem in pulchritudine animae ostensa est.

Praeter autem talem rem, accepi cum laetitia venerationem humilitatis tuae, o amans sapientiam, et confiteor quod recte praeventus fui in causa virtutis. Tui ergo sunt primitiae in eo quod lex spiritalis perfectionem virtutis esse constituit; apud me autem, praeter antecessionem in causa, mora est in his omnibus. Sed paenituit me, postquam ad mentem reversus sum, propter ea quibus falso,
*p. 43. modo satisfacienti, *impetitus sum, quamvis dulcia animo meo debili sint alimenta gloriae mendacis. Attamen te, o amans sapientiam, virtutis amor in errorem induxit, ita ut paulisper ab auditu falso raptus sis, et multum ex abundantia caritatis in huiusmodi donis apud hominem debilem effusum est, qui multum conscientia sua condemnatur. Ego vero, quia bene novi in quibus rebus ego a ceteris aliter existimor, Deo confiteor meipsum miserum et passionibus subditum esse. Tibi autem, o amans Deum, qui adeo virtutem cupis, det Dominus noster in misericordia sua spem veram. Quod si ita fit, nec me pudendum erit, nec bonum imminuetur[2], nec opinio convertetur, nec caritas mutatibur, nec electio mendax habebitur, nec laetitia auferetur, sed ubique erit glorificatio Dei, qui animam, ut pulchre demonstravisti, corpori huius modi vinculo mirabili iunxit et connexuit; qui pulchritudinem rationis occultam sensibilem reddidit, et virtutem multiformem virtute unica agnosci sivit; qui vas hoc sensibile vi particulari in essentiam absconditam immutavit; qui est nobis ubique et totus in nobis[3], et in nobis unitatem potentiae suae creatricis dedit noscere et mirari; qui nunquam in nobis reliquit seipsum sine testimonio, ne auferatur e nobis bonum eius ab errore per imaginem fallacem; qui per visionem antea, per voces deinceps et per verbum olim in ima quiete mentis, postremo autem omnino in corpore vero et perfecto bonum quod *est* in nobis sine depraedatione custodire voluit; qui multitudinem distinctionum virtutis in unum caput altum et

[1] Locutio ambigua : «ab eo *nitore*», vel «ab ea *sapientia*». — [2] Suspicor legendum احرز, aut quid simile: habent codd. احمر, i. e. «inopinato veniet», quod cum contextu minime quadrat. — [3] Cf. *I Cor.*, xv, 28.

praeclarum collegit et caritatem nuncupavit; qui in hac *caritate* te nunc *supra vilitatem meam elevavit, et primitiarum oblationis heredem * p. 44. per epistulam constituit; qui mihi ordinem secundum in responsione ad salutem tuam dedit servare. Cuius misericordiae vis occulta perficiat initium communionis nostrae institutione legis suae spiritalis pro gloria nominis sui sancti. Ipse gratia sua compleat debilitatem nostram in omni opere bono ad agendam voluntatem suam omnibus diebus vitae nostrae, amen!

Da salutem vilitatis meae quibus tibi placebit, praesertim autem eis qui Domino grati sunt, et particulariter eis quorum salutem secrevisti mihi in epistula tua. Pax Dei, qui maior est omni scientia, custodiat corda vestra sine culpa in diem Domini nostri Iesu Christi. — Explicit.

XXIII. — Fideli vero et timenti Deum Mar Išōʿsabran, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Accepi cum gaudio epistulam Caritatis tuae, o amans Deum, et propter sanitatem tuam gratias egi Domino nostro. Multum a fide dives es, multum quoque me laetantem reddidisti. Hae enim divitiae multos in omni generatione triumphare fecerunt. Quod autem in homine debili et reo qualis sum innitatur adeo opinio sapientiae tuae, non multum ursit me gaudere, immo nullo quidem modo. Illi enim, cuius fiduciam confutat conscientia peccatorum suorum, sufficit laus quae non prave secundum pravitatem eius profertur, modo tamen eam sine periculo sustineat, sin minus in periculo esset, ut aliter a Deo nosceretur, aliter vero ab hominibus existimaretur. Sed mihi persuasus sum paullum timorem dubii *minuisse, * p. 45. quia scribae perito, qui ministravit tibi arte sua epistulam ad vilitatem meam, tribui cogitationem sublimem de me ac de eo qui talis esset, excellentius habitam spe fallaci. Det quidem Dominus noster in misericordia sua ut fides tua super fulcrum veri firmetur. Incitationibus urgentibus epistulae tuae spes fida detur. Si enim gratia Dei ita egerit, mihi quoque e miseria condemnationis salus misericors erit. Et ut una cum perfectione virtutum laetitiam inveniamus aequo tempore detur nobis per gratiam ex divitiis magnis misericordiae Dei. Ipse in gratia sua corroboret debilitatem nostram ad agendam voluntatem eius cunctis diebus vitae nostrae. — Explicit.

XXIV. — Sanctissimo Patri nostro Mar Išōʿyabh (II) catholico, patriarchae, filius tuus Išōʿyabh : in Domino nostro salutem.

Audiat Religio tua, o Pater pie, semen bonum, quod iamdiu vepribus et spinis suffocabatur, cum sollicitudine Paternitatis tuae in hoc tempore mundatum fuisset, germinavisse, lumine rerum caelestium laetari coepisse, et angelis Dei gaudium hoc, quod in Evangelio *dicitur*[1], praeparare. Šapōr enim, qui usque adhuc ligamentis erroris ad profunditatem pusillanimitatis curvabatur, nec bene adspicere ad altitudinem rerum caelestium per fiduciam confessionis valebat, nunc auxilio Dei per dextram Paternitatis tuae e vinculis huiusmodi solutus est, liberque a subditione perditionis
*p. 46. apparet, cum erectus iam incedat * in domo hac magna, quae usque adhuc ei arcta erat, et in anima quasi nova et corpore ad dolendum parato confessus sit confessionem rectam coram testibus multis, et coetum eorum qui Deum timent ad laudem Altissimi commoverit. Et ideo etiam ecclesia sancta Christi, quae ibi ab homine peccatore qualis ego sum administratur, tetendit manus et accepit eum, et vim absconditam quae omnia sanctificat per communionem mysteriorum vivificantium dedit ei, ut per eam morbus afflictionis spei et dolor pavoris perniciosi ab homine fideli expellerentur, et gloriae Dei confessionisque splendentis praeco fieret. Statim post haec ad theatrum quod nunc prope est properavit ire, ut ibi quid Deus misericors in gratia sua erga eum constitui vellet acciperet. Gaudeat igitur Paternitas tua de rebus quae actae sunt, et oret sedulo ut finis earum omnium glorificatione Dei triumphet. Ipse autem Deus misericors, qui «potens est omnem gratiam abundare facere in eis qui timent eum[2]», perficiat laborem Paternitatis tuae in omni opere bono ad glorificationem nominis sui sancti in omni tempore, amen! — Explicit.

XXV. — Sanctissimo Patri nostro pio catholico patriarchae, filius tuus Išōʿyabh : in Domino nostro salutem.

Pervenit ad faecem, ut videtur, calix afflictionis nostrae, o Pater amans Deum, et occlusa est eventibus affligentibus via salutis

[1] Luc., xv, 10. — [2] II *Cor.*, ix, 8.

nostrae. Periit etiam fuga, sicut scriptum est[1], et non est qui requirat vexatos. * Vermis enim abundans quem e corpore com- *p. 47. munitatis genuit visitator malus per longum tempus et prave profectus multa membra vicit iamdudum, ut cernendum est, et serpsit nunc universim ad communitatis caput, in quo mens nostra, id est, ecclesia Dei constituta est mandato Dei, ut consumeret reliquum molis eius *communitatis* corrumpendo mores. Forsan, postquam omnia perdiderit, ipse quoque peribit, et quiescet mundus a miseria eius. Quod si ita adhuc sentias, ut confidimus, o Pater noster, et sis qualis oramus *ut sis;* si supersit Paternitati tuae, gratia Dei, reliquum consolationis in spiritu et in corpore, et aliquis *huc* venturus sit, velis scribas ad me, ut fortasse ab onere tristitiae, etiamsi cum levamento gemitus, detur mihi recreari. Res autem hic stabiliuntur paulisper, Deo iuvante, secundum tempus; sed ego adhuc adversus tempus praemunior, et supra miserias temporis ducit debilitatem meam sollicitudo gratiae divinae. Miranda res si a fine peccatis meis congruenti hic evadam. De eo quidem quod ultra est, nullum est mihi dubium. Oret igitur Paternitas tua, quaeso, ut misericordia dignus fiam et gratiam paenitentiae inveniam, quae valeat sanare dolores meos, priusquam pervenerim ad impossibilitatem quae multos prohibet. Deus pacis impertiatur Paternitati tuae habitaculum pacis in omni tempore cum omnibus rebus quae voluntati eius placent per omnes dies vitae tuae.

XXVI. — Išō‘yahb, gubernator ecclesiae Dei in Ninive :

Amantibus Deum, fratribus monachis in monte Alfaf, qui in spiritu humili sacrificium vitae eximiae * Deo omnipotenti offerunt : *p. 48. in Domino nostro Iesu Christo, pax multa!

Ego, o fratres amantes Deum, cum confiderem in vobis quoque, sicut in ceteris timentibus Deum, sufficienter agere vim praecepti Domini nostri, in conscientia fida volui ad vos scribere, nam sollicitus *sum ut* argumentum actionis vestrae non ab oribus alienis sed a manu familiari accipiam, ita ut fida sit mihi fiducia in vobis in tempora futura. Non enim potest fieri, secundum sententiam meam, nec prodest quod non sit amore Christi plenus qui

[1] *Ps.* cxli, 4 (cxlii, 5).

vere Christum adorat. Hoc est enim christianis signum disciplinae; neque etiam accidit ut non sit humilis et doctus qui firmat in se ipso hanc legem spiritalem, quae est caritas magna, a Domino nostro traditam; neque etiam accidit, immo nullo modo possibile *est ut pacificus et amoenus non sit qui in humilitate tam magna* praeceptum id magnum pro fundamento actionum suarum habet. Quomodo posset aliter ad virtutem pervenire qui contrarium virtutis sibi comparat operibus carnalibus? Quod illius est qui ira quidem et violentia et inimicitia et blasphemia et consilio malo detinetur, nec *libidinem* istam cupiendi prave hereditatem alienam et aggrediendi lingua et manu terminum paternum et se purgandi, secundum opinionem stultorum, per contumelias fratrum et cetera his similia, non puto esse filiorum Dei in parte laudabili, fortasse vero ne illorum quidem qui in anima ethnica conscientiam naturalem habent. Desistat ergo in semet putare se discipulum Christi esse qui non e fructibus spiritus ab omnibus cognoscitur talis esse.

*p. 49. Si autem aliquis de *se maiora proclamat, nec solummodo se ipsum laudat sed etiam male interpretatur actiones suas pravas, reprehenditur sufficienter, ut puto, conscientia sua, nisi corrupta sit passione praeiudicii. Reputatur etiam a peritis stultus et ignarus, quia non operibus gloriationem sed opera gloriatione sibi comparavisse censet.

Pulchrum est igitur, o fratres amantes Deum, ut laudem operum nostrorum ori ceterorum cedamus, si non fieri potest ut omnino celentur secundum praeceptum Domini nostri[1]. Nobis quidem id solum sit cura dignum, ut verum credamus, verum agamus et verum doceamus, ne ullomodo videamur esse ex illis qui se iactant, sed cum veritate patefacta nosmet ostendamus omnibus animis hominum coram Deo. Sic scandali expertes erimus coram Iudaeis et ethnicis et ecclesia Dei, et videbimus quomodo caute ambulabimus non quasi insipientes sed ut sapientes, redimentes tempus[2]. Me ergo communiter audire vobiscum, o fratres, haec consilia apostolica regula virtutis iubet, quam legislator nactus est non ab alio quam a sancto Apostolo, ita ut omnino e medio quantum ad me attinet scandali causa tollatur.

Tolletur autem quomodo, nisi cum magna amoenitate et longa-

[1] Cf. Matth., vi, 1-4. — [2] Eph., v, 15-16.

nimitate rebellionem stultorum sustinuerim, quam aliquis vestrum voluit nunc commovere mente stulta. Iste enim, cum a labore vitae monasticae sicut ab inimico vexaretur, in caverna solitudinis se abscondere coactus est; et, cum a servitute communitatis fratrum et ab obedientia antistitum suorum fugisset, rupe vitae solitariae se texit; et cum e monasterio irreprehenso abiisset, in cellula scandali plena cupivit *habitare; ideo ut omni modo servus *p. 50.
expeditus inveniretur illius qui vexatione hominum gaudet. Ad hunc ergo qui plagam intempestivam et inutilem voluit commovere, et perturbatione damnosa mercaturam scandali sedulus erat comparare, o fratres amantes Deum, ego ter suasionem fraternam per mediatores fidos misi, cum consilium ei darem perpendendi ante omnia commodum sui ipsius recedendo ab habitatione rapta, si enim Dominus noster nos nostra bona derelinquere docuit[1], rapere autem *aliena* nunquam *docuit*.

Cum quidem eum rogavissem sufficienter, nihil autem profecissem, visum est mihi vobis quoque tanquam sapientibus ad utilitatem eius idoneis nuntiare, ut si nescientibus vobis acta sit res, cum sciveritis, curetis correctionem; sed si vero vobis scientibus acta sit, sciam quoque ego quod non iste solus est apud vos amans contentionem et perturbationem, sed etiam qui inter vos praestantissimi sunt virtute. Non fieri posse puto, ut in omni illo coetu multarum personarum non inveniantur pauci amantes pacem et suadentes pulchra. Legite ergo in libro memoriarum vestrarum, et videte quis in loco illo, qui nullus locus *erat*, prior coenobii conditor [2] apparuerit. Invenietis, cum pulchre memineritis, quia nondum vetus est factum, quod e septo nostro erat et inter nos obiit; notus erat tempore mortis suae a vobis omnibus[3].

Quomodo igitur placuit vobis aggredi regulas nostras? Num quodam modo imminutae sunt nunc ante oculos vestros res ecclesiae sanctae? Non censeo. Cur igitur incitat certamen contentionis homo ille stultus, et vos siletis? Nonne scitis quod e causis parvis vexationes magnae *nascuntur? Num ignoratis ab hominibus vilibus *p. 51.
et stultis sapientes multos in perturbationem iactos esse? Hoc quoque scitote : nisi vinculis prohibitionis ligavissem manus zelatorum qui inter nos sunt, impetu humano irruissent in illum qui inique

[1] Cf. Matth., xix, 29; Marc., x, 29; Luc., xviii, 29. — [2] Suppl. ܐܦ, aut quid simile, ante ܥܘܡܪܐ. — [3] P. «noverat tempore mortis suae vos omnes».

insurrexit. Adiuvate igitur negotium pacis, o viri casti; cohibete fautorem belli a terminis nostris et reducite eum pacifice ad hereditatem patrum vestrorum, ut amantibus pacem congruit, neque quodam modo detis cuivis ansam scandali.

Ego vero iam ecce didici apud vos legem caritatis spiritalis, et primus nunc sum sollicitus ad officium. Si itaque responderitis voluntati meae, ut sapientes in Christo, et abstuleritis iussu vestro hanc vexationem quam commovistis, gratias misericordiae Dei *agam*, quod in labore sollicitudinis meae socii seduli fueritis. Si autem repulsa sit a vobis haec suasio auxiliaris, tunc etiam non infructuosus erit mihi labor in istis rebus. Omni quidem modo voluntas sollicitudinis meae explebitur alia ratione, sicut novistis, et ille qui vos perturbat ipse sufferet iudicium, quidquid est. Attamen de eis quae scripsi vobis respondete mihi in epistula veritatem cogitationum vestrarum, quia non verbis alienis sed argumento vestro ipso cognoscere volo sensum vestrum in religione Dei. De ista re quoque scripsi vobis, non quia debilior sum quam agam quod facile est agere etiam parvis meis, sed ut sollicitus de officio veritatem caritatis vestrae probarem et experimento scirem num omni modo sitis timentes Deum : Ipse gratia sua perficiat vos in omni opere bono ad voluntatem suam agendam. Estote firmi in Domino nostro. — EXPLICIT.

*p. 52. XXVII. — * AMANTI DEUM FRATRI NOSTRO HONORATO MAR MÔŠÊ, SACERDOTI, IŠÔʿYAHB : IN DOMINO NOSTRO SALUTEM.

Accepi et legi quae scripsisti, o frater noster, et pro sollicitudine tua in rebus huiusmodi gratias egi Domino nostro. Dolui autem multum ex ratione persuasoria et quoque ex causa ipsa, et incessi cogitationibus usque ad apologum Ioatham [1]. Et miratus sum multum contradictionem potestatis, quomodo illa res, quae tunc usque ad apologum tantum iverat, nunc etiam ad factum ipsum accessit. Nos enim mirari omni modo necesse est, si cedro eveniat ut umbra rhamni indigeat [2]. Si autem etiam res de qua nunc agitur non alia sit ac verbum, cur ergo non caute et apud me venit? Si vero partes causae suscepit, cur non est causa quae omnibus signum fixum et gloratio eorum sit qui eam possident, et qua nos invicem prae-

[1] *Iud.*, IX, 7 et seq. — [2] Cf. *Iud.*, IX, 15.

occupari[1] iussi sumus? Si neque hoc neque illud[2], sed reapse et vere exstat quod scriptum est : «Vae aerumnae cladis! — Illa quae milia summa voluptate nutriebat — ad matrem famis se convertit — rogando effugium necessarium tempore inopiae»; — incredibile tamen est nec credetur ut auxilium potens contrarie procedat ex eis qui quoque die esuriunt ad eos qui omni tempore satiant.

Si vero, cum supersit ei, quae pulchre plantata est[3], nunc etiam mos suus pulcher nutriandi in omni indigentia multitudinem indigentium, tu, o frater, in nimia spe scilicet nimiae potestatis seu nimiae sollicitudinis, ad me sicut ad eum qui talis sit[4], mittis appetitum indigentium, scias primum, o caste, quod fama mendaci deceptus es, si omnino prorsus audivisti aliquid simile eis quae scripsisti. Eam quidem mendacem esse credes, si didiceris e loco et more *primum, deinde ex inopia monasterii quod spoliatum *p. 53. est omni re; rursus et e gemitu afflictorum, quos tantum in atriis ecclesiae iniecit nobis tempus malum in miseriam naturae. Illi potuissent excutere super se per manus meas, si habuissem animam misericordem, etiam divitias Salomonis si mihi traditae fuissent. At nunc loco cuiusvis rei gemitum solum invenit a nobis cor dolorosum quod ad nos appropinquat.

Et ratione itaque huius muneris sine indigentia, ut puto, sunt pauperes Nisibeni; neque possibile est ut illo destituta sit haec urbs bonis abundans, quae in omnibus super ceteras *civitates* excellere debet, et a summo fonte illo, qui eam irrigat, etiam immittere debet rivum auxiliorum cuiusque modi pulchri nobis et ceteris. Sufficit etiam paupertas eius ut multos ditet, sicut scriptum est[5].

Attamen tu pulchre egisti, o frater noster, laborans pro anima afflictorum. Pulchre autem ages si credis nos esse divitiarum inopes et etiam muneris minimi *incapaces*. Pulchrius ages si non offenderis, cum audieris nos dimisisse vacuos quos ad nos misisti. Sufficiat vero tibi a nobis, si fieri potest, voluntas sola se in bono oblectans. Hac enim fortasse non potest carere cor christianum. Si curamus quae congruunt, possumus quoque reapse perfecti esse, iuvante Deo. Ipse gratia sua confirmet debilitatem nostram, ut faciamus

[1] Alludere videtur ad *Rom.*, XII, 10. — [2] Id est : si non est causa (praetextus) neque verbum (apologus), sed realitas. — [3] Id est : urbs Nisibis, cuius nomen sic fere sonat. — [4] Id est : cuius haec potestas est. — [5] Cf. II *Cor.*, VIII, 9.

voluntatem eius omni tempore per omnes dies vitae nostrae, amen! — Explicit.

XXVIII. — Fideli vero et timenti Deum Mar Luliano, Īšōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Accepi sententiae dubius epistulam Caritatis tuae, o amans
*p. 54. Deum, *quam nomine quidem ad me, sensu autem ad alium qualis non sum *scripta* erat. Quominus vero nominis causa responderem, periculum opinionis impediebat; at quominus sensus causa tacerem, periculum scandali impediebat. Maximo dubio anxius cum ad conscientiam inopiae meae me converterem, gratias misericordiae Dei egi, et animo debili caritatem fidei tuae grate accepi, non quod sapiens sum, sed quod tu *id* credere potuisti. Ego quidem, sine opinione et sine errore, miseriam totam et conscientiam vulneratam habeo; tibi autem anima in sanitate fida *adeo* virtutis cupida est, ut etiam apud hominem debilem, conscientia sua valde contemptum, sincere deponas fidem tuam in virtutis spe. Si autem evacuaretur fides prompta quam tu habes, non pulchrum esset, sed baculus confractus[1] qui sum auxiliari non posset. Deus autem, qui misericordia sua dives est, etiam a mortuis suscitare potens est[2]; ad eum ergo potentem oportet nos ambos converti eodem inopiae animo : — me quidem, ut fidem tuam sinceram multitudine fructuum gratiae suae laudet, pedem tuum ab offendiculis peccatorum et ab omni dolore crucianti custodiat, et te impleat abundantia auxiliorum suorum in omni tempore; — te autem, ut homo reus, qualis esse tibi videar, a miseria condemnationis ad misericordiam paenitentiae se convertat, et per hanc salutis, gratiae ope, dignus sit, fiduciamque speratam obtineat. Quod si ita fit, gratias agemus clementiae Domini nostri qui, etiam nobis non rogantibus nec curantibus, dolores nostros benevolenter visitat. Spera ergo in Domino, o amans Deum; custodi viam eius, et extollet te ut terram possideas. Spem omnium ad
*p. 55. eum converte, et vives. *Ne vero effigiem virtutum apud debiles quaeras, si tales sunt quales esse existimas, nec offendaris cum non inveneris, nec a fama falsa decipiaris suspicando virtutem apud longinquos esse, quemadmodum nunc accidit tibi ut sentias;

[1] Cf. Is., xxxvi, 6; II *Reg.*, xviii, 21. — [2] *Hebr.*, xi, 19.

quia homines et terreni nos omnes sumus, et pulvis dispergendus, et figmentum passionum, atque simul laude Dei caremus. Sed pulchrum est in virtutes aemulari. Sed pulchrum est de virtutibus loqui. Sed pulchrum est *praesertim* virtutes exercere. Sed «beatus ille cuius iniquitas remissa est et peccata deleta sunt[1]». Sed «beatus, cui Dominus peccatum non imputabit, nec est in corde eius dolus[2]». Huic ergo est beatitudo gratiae; nobis omnibus fiat ut ea digni simus per ipsam benevolentiam Dei nostri boni et misericordis in aeternum, amen! Salutat Caritatem tuam ecclesia pauper in Ninive, quae accepit salutem tuam in epistula, praesertimque *salutant* illi qui maxime familiares Domini sunt, quibusque praesertim munus salutis impertitus es. Detur salus infirmitatis meae omnibus timentibus Deum, qui apud vos sunt. Orate pro me! — Explicit.

XXIX. — Išōʿyahb, Iohanni fratri meo : in Domino nostro salutem.

Desiderium appellatur ab omnibus motio cogitationis quae appetit occursum amicorum. Hoc per multos annos exhausimus in te inaniter, et nunc infirmum est. Ne ergo pergamus eadem pati cum spe imperfecta, nec tu iam pergas nobis dare promissa inania adventus infidi. Sed linque tempori quod eius est, et pax sit tibi. Ora pro me e *longinquo, ut decet te facere. Res urgentes per epi- *p. 56.
stulam manda mihi. Vale. — Explicit.

XXX. — Išōʿyahb, Narsai et Maremmeh fratribus meis : in Domino nostro salutem.

Quod vi suasionis ad memoriam necessariam veniatis, o fratres, et salutem detis ex necessitate homini debili qui talis vobis videtur esse, hoc ipsum vix et post moram multam, non ex alia parte evenit quam ex mortalitate caritatis immortalis, quam *ante omnia* nos habere existimabamur. Quamvis enim non mortua sit, et fortasse dicetis eam non mortuam esse, tamen aegrota et male cruciata est in altero *membro quidem* a dolore offensionis, in altero autem a passione contemptionis. Sed gratias misericordiae Domini *ago*, qui in nobis interdum renovat halitum familiaritatis suae per

[1] *Ps.* XXXI (XXXII), 1. — [2] *Ps.* XXXI (XXXII), 2.

modum resurrectionis, sicut nunc quoque movit virtutem vestram, ut in epistula memineritis illius, cuius iam diu obliti estis, quamvis modus loquendi eius *epistulae* ratione singulari concinnatus sit. Id ipsum ex aegrutidine oritur quae memorata est. Haeret enim aegrutidini et error, et ambo *haerent* animae passibili. Sed sic etiam et propter id solum gratias ago benevolentiae Domini, qui omnino custodivit nobis residuum religionis in longis memoriis. Oro quoque ne in defectum rursus demittantur ultra hunc modum divitiae illae, quarum multi antea obliti erant. Sed quomodo agatis, et rursus quomodo agatis, scire vellem. Det Dominus in misericordia sua ut ita agatis, sicut et decet vos agere. Orate
*p. 57. vos quoque pro me, ut dignus sim misericordia et inveniam *paenitentiae gratiam, quae ad curandos dolores meos utilis est, et videam vos in pace sicut Domino placebit. — Explicit.

XXXI. — Casto et amanti Deum, sacerdoti pio, Mar Sabrīšōᶜ episcopo, Īšōᶜyahb : in Domino nostro salutem.

Paullum e vi probationis tuae et paullum e conspectu paterno principis communis, o amans Deum, cum adiunctum esset alterum alteri anno praecedenti, conspectum Caritatis tuae paraverunt debilitati meae, gratia Dei. Ex experientia brevis temporis recordatio tui bona est apud me cotidie. Exspecto etiam in bona conscientia ut de temet certior fiam. Vix enim, cum venisset ad me filius Caritatis tuae, frater vero meus, Mar Sergius, sacerdos et doctor, sedavit paullum desiderium meum nuntio valetudinis tuae; et optavi te visitare, ope eius, quantum fieri posset, per salutem datam, suadens quidem, ut mei memineris in oratione coram Deo tempore sacrificii quod pro omnibus ei offers, ut forsan reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agere possim. Cum tibi occurret aliquis qui ad Assyriam eat, certiorem fac me per epistulam de sanitate tua, qua gaudedo. Vale. — Explicit.

XXXII. — Electo Dei, Mar Samueli sacerdoti, Īšōᶜyahb : in Domino nostro salutem.

Beatus vir cum portaverit iugum Christi a iuventute sua, dicit propheta Dei[1], et sedebit solus silebitque, quia accepit super se

[1] *Thr.*, III, 27-28.

iugum eius. Iustitiae enim opus pax, ut ipse ait[1], et iustitiae cultus *quies et spes in saecula saeculorum. Idcirco beatus est *opere* *p. 58. suo ille qui talis est. Gaude igitur in spe tua, o caste, et persevera in bono virtutis certamine quod agis, ut assequaris vitam aeternam, ad quam vocatus es. Ora pro debilitate mea, quaeso, ut dignus sim gratia paenitentiae et inveniam misericordiam coram Domino die revelationis eius, videamque te prope ubi Deo placebit. Antea autem cotidie memento mei et ne desistas. — Explicit.

XXXIII. — Dilecto meo honorato Mar Iohanni sacerdoti, Išō῾yahb : in Domino nostro salutem.

Una ex pulchritudinibus corporalium est verbum, una ex pulchritudinibus rationalium est sapientia, et una ex pulchritudinibus sapientium est caritas, triaque *procedunt* ex munere gratiae divinae. Primum quidem *datur* natura, secunda institutione, tertia vero lege spiritali. Quapropter in virtute perfecta versabitur qui in ea *caritate* egregie perfectus est. Bonum vero est quoque illi, qui hanc selectione eximia tenebit. Cum ego tenui quod quocunque modo tenui, secuta est selectionem perfectio selectionis omni tempore sicut nunc etiam. Accepi enim cum halitu iucundo salutem Caritatis tuae a fratre Sergio doctore allatam, delectavistique me nuncio sanitatis tuae, ut decet, quanquam non per epistulam, ut decebat. Laetus gratias Domino egi. Placeat ergo tibi, ut omni tempore in me facias quod alacritati tuae in me congruit. Quominus ores pro me ne impediaris, ut forsan possim reliquos dies meos agere in vita quae voluntati Dei placeat. Vale et excelle in caritate quae tibi est possessio eximia. — Explicit.

XXXIV. — *Sanctissimo Patri pio Catholico Patriarchae, *p. 59. filius tuus Išō῾yahb : in Domino nostro salutem.

Quod excellens sis decet summam excellentiam, o Pater, sicut nunc etiam te ostendisti multis testimoniis, cum ab ea *excellentia*, ut soles, impetu caritatis erga filios, ad debilitatem meam motus esses. Quinque epistulis, ut audivi, mihi debili in parvo tempore plenitudinem laetitiae porrexisti. Quanquam hae *epistulae* ad me

[1] Is., xxxii, 17.

non pervenerunt, quia eas detinuere inimici qui irruerunt, tamen sufficienter par fui ad gaudendum, cum audivissem modum abundantiae curae Caritatis tuae erga me. Audivi enim praesertim, quantum res sinebat, a fratre Mar Išōʿyahb doctore, quod apud vos agatur, et gratias Domino nostro ago propter haec omnia, orans ut maxime firmemini in Domino, ad laudem eius et gloriationem communitatis. Nos vero paullum perturbati fuimus, sed non omnino derelecti sumus, et possumus dicere, rebus comparatis, nos perturbari non autem derelinqui [1]. Gratia enim Dei misericordis usque adhuc magis quam peccatis congruat debilitatem meam ducit, at ego conscientia quae pavore cotidiano contaminatur, perplexus sum. Oret ergo Paternitas tua, quaeso, ut salvus a periculo corporis et animae evadam custodiarque in puritate congruenti, et reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

XXXV. — Išōʿyahb, amico meo Hormizd : in Domino nostro salutem.

Quod si ego praeivissem, o frater, te epistula adoriens, vel si
*p. 60. statim postquam scripsisti *tibi respondissem, vel etiam si duabus seu tribus vicibus me puduerit huius neglegentiae, qua me impediri existimabar quin scriberem, minor sane esset laus tua, minor quoque laetitia mea. Nunc vero, cum ita acciderunt quae acciderunt et egisti quemadmodum egisti, tibi gloria egregia est, mihi autem laetitia perfecta, et utraque in congruenti discretione. Quapropter ergo, o frater, vince me tali modo in omni tempore, et gaudebo. In me etiam et in omnes amicos tuos beneficia talia congerere ne te taedeat, quamvis minima sit a nobis retributio debiti huius laudabilis. Deus pacis sit tecum, ducatque te quocunque sine offendiculo. Ora vero etiam pro me, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

XXXVI. — Casto et amanti Deum, fratri honorato Mar Alahazeka, sacerdoti et doctori, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Te ergo, o amans Deum, vis inimicorum cotidianorum invincibilem invenit cotidie coram defectione illa, quae multos e coetibus

[1] Cf. II *Cor.*, iv, 9.

claris Caritatis tuae ad neglegentiam errore plenam seduxit. Idcirco ipsa in abysso necessitatis, ipsa in procella perturbationum, ipsis in fluctibus afflictionum debita caritatis spiritalis animo soluto figuravisti et bis viro debili qui sum visitationem laudabilem, salute *in epistula* data, largitus es, et beneficium honoratum praevenientis oblationis summa diligentia ad te reddidi. Me autem debilem vapor solus tentationum mundi potest avertere saepius a *memoria rerum * p. 61. urgentium, et impedire aliquoties a pulchritudine salutationis, quae secundum legem spiritalem debetur officio amicitiae. Attamen non ita in eventibus qui acciderunt; haud enim posset, opinor, vehementia inimicorum huius modi cohibere sine aliena necessitate aditum sedulum et alacrem ad personam tuam Deum amantem, ubi lex spiritalis postulat ut concordia usurpetur; sed illam scilicet neglegentiam detrimentis *plenam* ope Dei a me expulisti; rursusque necessitati, quae in longinquum me tanquam rerum urgentium vinculis a loco sedis meae traxit, parvo tempore obedivi. Deficientibus tabellariis fidis, quod necessario accidere debebat, victus sum quemadmodum usque adhuc victus sum.

Nunc vero, cum epistulam alteram legi, etiam amicitiam prioris cum debita actionis gratia celebro, tibique Deum amanti congratulor, dum causam epistulae tuae cum amicitia sola confero. Mihi autem non placuit pulchritudo eius laudatoria, qua multi stimulis adulationis qui iucundi esse solent subiiciuntur, et utraque in parte angustias conscientiae sibi comparant, nisi ea morbo insensibilitatis corrupta sit. Pulchrum est, opinor, viro nobili qui dilectione commovetur libertate familiari apud amicum suum frui cum fiducia plena. At sufficit menti nostrae exemplum Patrum nostrorum qui, cum pure dilectionis spiritu commoverentur, modos spiritales pulchrae conversationis heredibus laborum suorum reliquerunt, ut nos omnes eos imitari possimus : et auxilium Dei ad effigiem virtutis eorum perducat *nos* per gratiam et misericordiam eius in aeternum, amen!

De hoc autem quod scripsisti mihi, *o frater, dum onus arro- * p. 62. gantiae superborum gemis, «non mireris super hoc negotio, quia excelsum excelsior custodit», ut scriptum est[1]. Tu vero, confide in Domino, custodi viam eius et fac opus praeconis; hoc est enim officium tuum. Percutitur enim a gleba humili pulvis qui superbit[2],

[1] *Eccl.*, v, 7. — [2] Cf. Iob., xiv, 19.

et superbiam gloriosorum virga humiliationis submittit; et, si non cessabunt, ipsis instrumentis armaturae suae *eos submittet Deus*. Potes enim passionem passione vincere, secundum verbum quod dictum est. Si autem neque hoc neque illud accidit, exspecta in humiliatione, ut beatitudinibus quae scriptae sunt[1] dignus sis. Deus custodiat te ab omni malo. — Explicit.

XXXVII. — Sanctissimo Patri pio Catholico patriarchae, filius tuus Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Multum praevaluit contra defectum debilitatis meae, o Pater honorate, sollicitudo caritatis Paternitatis tuae, diligentia miratu digna; nec violentia angustiarum temporis, nec omnes res quae impedire possent cursum officiorum egregiorum valuerunt coercere sedulitatem Paternitatis tuae, quin semper foveret filios gratiae, qui nos omnes adoptione facti sumus, et prae ceteris me, qui tam infirmus sum, quemadmodum cuivis optime notum est.

Accepi enim etiam nunc alacritatem caritatis Paternitatis tuae in epistula pacis, expetivique pacem tuam in pace spiritus, et confiteor misericordiam Paternitatis tuae in animo humili. Oro et studeo qualibet hora, ut cito expleam votum desiderii mei invisendo
*p. 63. Paternitatem tuam, Deo adiuvante. Antequam autem hoc *dignus sim, benevole habear sicut usque adhuc. Beneficium orationis concede debilitati meae omni tempore, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

XXXVIII. — Casto et amanti Deum fratri nostro Mar Abba episcopo, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Accepi in stupore epistulam caritatis tuae, o amans Deum, et pro providentia erga te gratias Domino nostro egi. Cum doloris onere in imam pusillanimitatem moeste abreptus essem, memor totius periculi quod super sanctitatem tuam a parte pravorum transiit, confisus sum praecipue in spe patientiae tuae, et me in laudem Dei converti. Inveni enim in vehementia afflictionum tuarum sensum afflictionum tuarum, quae in te tanquam in fidei corpore Dominum gloriae passione alliciebant. Vidi et certamen patientiae tuae, cum in corpore debili violentiam cruciatuum cum fortitudine

[1] Cf. Matth., v.

animi strenuorum suscepisti. Nec corpus tuum defecit pro natura sua a vi dolorum mortem fugiens, nec anima tua turbata est pro natura sua longis terroribus cotidianis, seque amovit a societate dolorum in ira sua discessu altero secedens, sed simul constantia totius hominis tui impetum totum pravorum cum humilitate perseverantiae sustinuisti usque ad quietem, quae exspectabatur fore, usque ad terminum dimissionis quae adiuvat, usque ad terminum patientiae tuae et audaciae impetus pravorum, usque dum Deo placuit in gratia sua perficere vim fortitudinis suae in aegritudine debilitatis tuae. Quapropter * igitur, o frater noster, multas suspi- * p. 64. ciones pusillanimitatis a mente mea expulisti, et moestitiam cogitationum in gratiarum actionem pro Deo vertisti. Laetus gratulor tibimet, o amans Deum, quod dignus fuisti qui passionum pro veritate eius particeps fueris initio certaminis, quod multis paratum esse puto. Mysterium enim iniquitatis et apparitio iniqui iamdudum diligenter agere coeperunt, ut videtur, sane ut «eligerentur, probarentur et dealbarentur multi», sicut scriptum est[1]. Sed beatus esto, si certavisti et probatus fuisti et evasisti; beatus etiam, quamvis adhuc in ipso certamine stes; praesertim autem beatus, si et maioribus ac istis rebus dignus sis. Qui enim fidelis fuit in minimo, et in maioribus fidelis erit, sicut scriptum est[2]. Gaude igitur in spe tua, o beate, et renovare spiritu fidei tuae, ut te decet. Iam enim doloribus fiduciam tibi comparasti, ut misericordiam auxiliumque pro ecclesia Dei in oratione petas. Ora ergo quoque pro nostra ecclesia misera et pro omnibus qui ad eam confugerunt, ut eis placeat simul se tibi adiungere in doloribus voluntariis. Omnes mihi obnoxii, fideles baptizati cum fidelibus non baptizatis supplicant te, ut in eos loco benedictionis quam appetunt, retributionem orationis vertas cum dilectione spiritali. Ora quoque pro debilitate mea, quaeso, ut gratia paenitentiae dignus sim misericordiamque coram Domino nostro inveniam, et reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

XXXIX. — * Sanctissimo patri pio Catholico patriarchae, filius tuus Išô῾yahb : in Domino nostro salutem. * p. 65.

Hactenus, o Pater, spes adventus tui huc rursusque alacritas mea illuc eundi levabant sane a dolore privationis mentem communem.

[1] Dan., xii, 10. — [2] Luc., xvi, 10.

Nunc vero, cum utramque rem fecit irritam tempus difficile, communiter dividitur dolor, dum tribulationes cotidianas addit. Quammobrem igitur iam necesse est usitato modo, lineis *scilicet* epistularum, nos uti in solamen parvi momenti, usque dum se vertat Dominus, nostrique misereatur, et orietur lux salutis eius in gratia. Sed gratias agat Paternitas tua pro debilitate mea. Adhuc enim benevolentiam Dei possideo plus quam peccata merentur, cum panem cotidianum parvamque quietem inveniam et ministerium ecclesiae Dei perficiatur in ordine temperato.

Ille *ordo* scilicet reputatur obsistere ruinae mundi, ita ut rem ne Satanas quidem sustinuerit, sed rabie sueta effervescens terribilia et maiora in nos perturbationibus repentinis excitavit, paschamque nobis agendam praeparavit, quae omnino paschae Domini nostri similis est, et in die, et in momento, et in modo et in tota negotiorum ministratione : loco Herodis et Pilati *sunt* principes et antistites regionis nostrae; loco summorum sacerdotum Iudaeorum ducumque populi eorum[1] *sunt* haeretici et proceres populi nostri; loco satellitum et militum. . . . .[2]; loco gladiorum fustumque[3] sunt isti gladii et fustes; loco tubarum clamorumque sunt istae
* p. 66. tubae et isti clamores; loco Iudae *traditoris est princeps illustris honoratusque in coetu nostro. Ille, cum hostia adhuc inter labia eius esset, alacritatem magnam, magis quam Iudas, monstravit. Nec enim exspectavit donec lauderemus et exiremus in montem Olivarum[4], sicut exspectavit Iudas; nec vero cum osculo ad nos venit istius instar[5], sed cum hasta et clypeo[6].

Hactenus imago omnino est paschae Domini nostri. Abhinc autem et ulterius pascha nostra omnino superavit nempe pascham Domini, pascham *dico* illam corporalem mysticamque cum Petro sociisque eius *celebratam;* nam Dominus duodecim legiones angelorum, quos tunc a ministerio sedulitatis eorum cohibuit, loquens ad Cepham[7], nunc manifeste in salutem ecclesiae nostrae misit, et fecit mirabilia illa, quae gloriam potentiae eius reddunt insignem. Haec suscipere non posset epistula ad monstrandum eorum splendorem, nec forsan valeret lingua simplicitatis meae ad describendam viva voce imaginem prodigii eorum. Sed reserventur in occursum

[1] Cf. Matth., xxvi, 47. — [2] Hic deest aliquid; forsan : «ipsi satellites et milites». — [3] Cf. Matth., xxvi, 47. — [4] Cf. Matth., xxvi, 30; Marc., xiv, 26. — [5] Cf. Matth., xxvi, 49; Marc., xiv, 45; Luc., xxii, 48. — [6] Cf. I Sam., xvii, 45. — [7] Cf. Matth., xxvi, 53; Ioh., xviii, 10.

personarum *nostrarum* et in narrationes longas, Deo iuvante. Antequam autem hoc dignus sim, gaudeat Paternitas tua eis quae evenerunt, quia laudabilissima sunt, gratiasque de eis Domino agat omni tempore, quia in multitudine virtutis eius mentiti sunt ei inimici eius haeretici, ut scriptum est[1]. Cum de robore spei suae ictu Domini discerpti fuissent, recesserunt ad dominatores barbaros, quos nobis suscitaverunt peccata nostra. Ecce minantur mihi cotidie caedem, quod facillimum commodissimumque esse eis ostendi, quamvis pro eis terribilius sit, quia nullam spem habent. Sed spiritus Dei prodigio solito duritiam barbarorum in pacem nobis paulatim convertet, et ab eis confundentur, sicut ab Assur confusi sunt[2]. *Potentiae divinae ab ore peritorum reddetur gloria quae *p. 67. eam decet. Oret ergo Paternitas tua, quaeso, ut gratia paenitentiae dignus sim, misericordiamque coram Domino nostro inveniam, et reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

XL. — Sanctissimo patri pio Catholico patriarchae, filius tuus Īšō‘yahb : in Domino nostro salutem.

Me, o Pater benedicte, probatio eventuum antecedentium satis induxit ut a bona spe deficerem cunctis in rebus quae lege caritatis spiritalis ministerium vocationis nostrae ornant. Astutorum societatem iam recusare voluissem, sed praeceptum Paternitatis tuae cum suasione honorabilium me coegit ut probatos denuo probarem. Putabatis enim, quemadmodum putare etiam decet, fieri posse ut illi, quorum voluntas ferox est, a moribus malis mutarentur. Idcirco et rogavistis iussistisque, et obedivi. Sed non prospere cessit spes communis in virtutes congruentes, quia praevaluit immutabilitas morum malorum propter copiam irreligiositatis. Experti sunt enim dulcedinem imperii mansueti, quod sine periculo contemnere ausi sunt. Necesse est igitur quosdam in istis rebus ipsis labi, quosdam in eis ipsis moveri, et in ipsis mansuetudinem tuam affligi. Quapropter Paternitati tuae breviter ea renuntio quae breviter exponere difficile est.

Hoc quidem tempore duo episcopi haud canonici, Šemīšō‘ et Narsai, apud humilem Patrem *metropolitam nostrum convenerunt, *p. 68.

[1] *Ps.* LXVI (LXV), 3. — [2] Cf. Ierem., II, 36.

cui debitum consecrationis haud canonicae solventes, quam eis mutuo antea dederat, cum eo secundum eius voluntatem se consociaverunt. Invenerunt hominem simplicem et rudem, ut dicunt, cum non noscerent ex quo loco esset, nec ubi nunc habitaret, nec quid esset nomen eius, nec quibus in moribus consuetudinibusque crevisset, nec quae essent opus et artificium eius in mundo, nec ex quibus ordinibus ecclesiasticis videretur esse, nec si ullo modo ad ecclesiam puram orthodoxorum pertineret, nec unde veniret, nec quo iret. Tali ergo homini nomen episcopi dederunt, miseruntque eum ad ventum oris eius, in *regionem* Adarbaigan, aiunt quidam, sed revera *quonam* nemo scit. Sic igitur nunc acciderunt eventus isti in correctionem rerum quae olim male acciderunt. Sed novi Paternitatem tuam his non credere, et bene agit dum non credit. Perdifficille est enim viris peritis credere caecitatem et ignorantiam huius modi operum. Sed si Dominus nos vivere simulque occursum Paternitatis tuae nos obtinere velit, paratus sum ad faciendum coram eis te certiorem de tota veritate rerum, sive de iis quae alter ad alterum scripserimus, sive de iis quae alter alteri ore ad os locuti sumus[1] ante tempus, in tempore ipso, et post tempus; nisi etiam consummatio *rerum* praesentium alacritatem meam praecesserit, ut factum est in eventibus actis. Antequam autem occursum dulcedinis tuae obtinuerim, ora pro debilitate mea, ut misericordiam coram Deo inveniam. — Explicit.

* p. 69. XLI. — * Amanti Deum Fratri nostro honorato, Mōšē sacerdoti, Išō'yahb : in Domino nostro salutem.

Rursus, cum motu memoriae ad vehementiam tuam solitam reversus esses, materia nominis mei usus es et post haud multos annos multitudinem munerum alienorum denuo protulisti in epistula quam ad me misisti. Ex quibus *muneribus* quidem alia pro quodam Ṣafnatpa'naḥ, filio Raḥīl, alia vero pro quodam filio Išai, rursusque alia pro quodam filio 'Amram, alia autem quoque pro quodam filio Matthaei. Cum nempe ne ista quidem tibi satis erant, geomantiae poeticae instar ad phantasmata futuri mendacis rursus propensus fuisti et catholicum quemdam imaginarium finxisti ut conscientiam insanam hominis debilis[2] in errorem indu-

[1] Cf. *Num.*, xii, 8. — [2] Id est «conscientiam meam».

ceres, si ei acciderit in rebus huiusmodi *errare*. Post haec autem, causam epistulae vix sub fine emisisti, cum etiam eam, multitudine cupidinum, praetextu imae inopiae vestivisti. Sic homini quieto[1] acumen tremoris in opus tuum vi suasionis incussisti.

Haec enim omnia tibi accidit *iterum pati in epistula ad me missa*, ut opinor, quia non cura convenienti olim usus es in legendo quae aliquando epistulae tuae respondens ad te scripseram. Tibi quidem ab initio consilium parvum cum demonstratione temperata dederam, quibus passionibus pulchri ordinis deceat moveri virum nobilem, qui legem spiritalem spiritaliter, id est causam necessariam pro *materia* epistulae suae sumit. Quia igitur haud legisti quae propter hoc antea scripta sunt, propter hoc nunc *etiam* idem fit, propter *hoc quoque ego abstineo ab iisdem rebus scribendis. *p. 70.

Sed intellexi ex eo quod scripsisti et quod ab aliis audivi ad te quoque pervenisse auram *inopiae panis*, qua populus dives ruinam vicissitudinibus plenam subiit, adeo ut contrarie incederet postulatio a saturibus ex antiquo ad esurientes cuiusque generationis. Cum autem id audivi, dolui ut oportet. Necessitati quidem doloris succurrere, ut ius postulat, haud sufficienter potui. Venit enim, ut scitis, ad nos ipsos causa tota, quae vos ad inopiam insolitam adduxit. Cum nos paullum tetigerit, diuque apud nos permanserit, et usque adhuc sub ea iacimus, ad inopiam solitam nos vertit multitudine postulationum rerum quae raro aut nullo modo inveniuntur. Sed obediens paullum legi spiritali, paullum persuasioni indigentiae fratrum et paullum etiam oppressioni eorum qui ex ima penuria sollicitant, exiguum panem quem possidebam in commune, quantum res sinebat, contuli, partim vendendo, partim eleemosynam dando, partim etiam oppressioni hominum parendo, sic iuxta tempus, sic iuxta personam, sic iuxta causas urgentes. Ad te quoque ex parte pervenit ille; panis quidem gratis pro decem circiter diebus, panis autem venditus pro viginti circiter diebus; pro quantitate vero mensurae, tres asses; pro pondere, sarcina omnium iumentorum tuorum; nomine usus communis, triginta g r i b h a e[2]: secundum distinctionem speciei, decem tritici et viginti hordei. Libenter et aequo animo toti indigentiae tuae subvenirem, si possem.

Accipe ergo quod actum est quale est, nec contemnas tanquam

[1] Id est «mihi». — [2] Nomen mensurae granorum.

*p. 71. nihil quod desideratum est. Si accidit ut eodem dolore *coacti* ad vos nos ipsos vertamus, estote pro nobis ut *vos decet. Sed si, inopia non urgente, ita agatis, gratias misericordiae Domini nostri. Laus benevolentiae eius erga nos cotidianae! Tu autem ora pro vilitate mea, et vale! — Explicit.

XLII. — Honoratissimo pio Patri nostro Cyriaco episcopo metropolitae, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

*p. 72. Melior est, o Pater, pro viro ceteris bonis parva pax in ecclesia Dei, si prospere cedat. Melior est autem pro ecclesia Dei multitudine auxiliorum aliorum parva concordia in sacerdotibus Dei, etiam si parvula, cum a caritate bene movetaur. Per illam enim, id est per prosperitatem ecclesiae, confirmatio mundorum ministratur opera misericordiae divinae. Per hanc vero, id est per concordiam sacerdotalem, confirmatio gloriae Dei insignis redditur laude linguarum sedularum, ut nunc etiam cum bene tanquam a flore, qui virtute sua praestans est, moveatur ad humilitatem vilitatis meae honos Paternitatis tuae in suavi odore laudis Dei, qui a cunctis hominibus praesertim autem a libris Spiritus[1] caritas dicitur et revera est. Haud scio quibus alis tanquam per nubes celeriter volans multosque scrutatores[2] vi suavitatis suae trahens : quosdam quidem ad verbum solitum[3], quosdam vero ad confessionem distinctionis[4] verterit. Alios autem, qui ab adversis casibus probabantur, irritis factis eorum petitionibus, ad spem eximiam vertit, et modum auxilii pro cupidine sua bona invenerunt, scilicet laudabilem familiaritatem vilitatis meae cum Paternitate tua, quam *familiaritatem* ope caritatis *perfectae sapientiae tuae tantam esse constituit Deus.

Idcirco, ante multos alios qui fortasse futuri sunt, si iam successum vilitatis meae apud Paternitatem tuam sentirent, apud me caritate tua fruentem antecesserunt filii parvi Paternitatis tuae, fratres autem mei et communitatis, quibus in ora orientali provinciae tuae ovile (*dioecesis*) regionis Balad contigit, et qui extremitates deserti suaviter pascunt quiescuntque mite prope aquas paradisi de fonte illo defluentes, qui Assyriam versus pergit. Saepissime feliciter eis successit; olim enim metropoli, quae hodie a

[1] Cf. *Eph.*, v, 2. — [2] Id est «scepticos». — [3] Id est «ad fidem communem» (?). — [4] Id est distinctionis personarum et naturarum in Christo.

sollicitudine Paternitatis tuae regitur, dedit *urbs* curatorem celebrem, qui fuit admirabilis Paulus, regum suasor et verbi veritatis preco illustris; nunc rursus, paulo ante et hodie etiam coram oculis nostris, ad urbem regiam et sedem patriarchalem misit ornatorem egregium, cuius virtutum laudem etiam ora aliena praedicare coguntur[1].

Ii, quibus contigit, ut dixi, tam felices esse, cogitationes suas nunc verterunt in amicum communem, fratrem nostrum honoratum Maruzan, episcopum, petiveruntque ut ipsis antistes temporalis sit. Cum autem spes eorum in facilem praeparationem non incessisset, in pusillanimitate languerunt dolueruntque. Sed cum spem nacti essent — et quod nacti erant prope erat — nunciarunt mihi ut propter alacritatem caritatis Paternitatis tuae erga me hoc facere possem, suaseruntque mihi multum supplicantes, ut Paternitatem tuam sollicitarem, quidam ad me venientes, omnes vero epistulam supplicem mittentes. Ardore mentis victus et in ratione agendi tuae Paternitatis erga me confidens, opus aggrediendum cum conscientia filii grate excepi, Paternitati tuae suasurus quantum possim, non *autem quantum deceat. Deceret enim me coram te *p. 73.
propter hoc stare, et quidquid res postularet agere; sed non possum, ut bene constat. Possum tantum in epistula me tibi in conspectum offerre, ut concedit tempus.

Quapropter caritati tuae placeat, Pater honorate, quaeso, petitionem filiorum tuorum in conscientia bona expleas. Da quoque requiem vilitati meae, ne dicam, lauda me de hac re; cui rei ne ullo modo resistas, pulchra enim est coram omnibus et laudabilis. Delectui humano iam praeivit delectus divinus. Quid de nostro addere possemus? Si autem quid divinum in dolore est, ut dicunt medici, aut sane sollicitudini[2] humanae subiiciuntur opera, facile est, opinor, utrumque tenere. Si enim in conscientia bona consensum huius modi denegat Paternitas tua quia «ecce honorem metropolitae obtinuit persona illa, nec decet eam in loco vili imminui», facile est dubium undique solvere, et, ut plura omittam, eo solo quod consensus proprius personam non imminuit, immo ea crescit dum minora optat; neque donatorem rei petitae donum imminuit; eum autem potius auget, dum prae oratione preces

[1] Išōʿyahb Gedalensis fuit episc. urbis Balad antequam in patriarcham eligeretur. — [2] Pro ܪܚܬܐ codd., legendum est ܪܦܬܐ.

exaudit. Rursus quoque honore Paternitatis tuae dignissimum est ut patres sint pro te filii, et ut metropolita aliorum inter discipulos tuos parvos ordinetur.

Si autem non propter hoc sed propter impassibilitatem sane personae constituas causam non assentiendi, necesse est enim alterutrum poni, quomodo de hoc suadere possemus multis populis celebribusque civitatibus, ubi testimonium utilitatis viri
*p. 74. pluribus in linguis *proclamatur? Ego id quoque dicam : etiamsi vir ille tanta virtute non frueretur, quae a cunctis familiaribus eius praedicatur, sed a Deo aliter haberetur, *tamen* ab hominibus gratus habetur, adeo ut a cunctis familiaribus suis aptus dicatur, et nullius detrimenti est pro hominibus defectus huius modi, cum hominibus non sit manifestus; nec facile est, opinor, omnes homines talem opinionem falso concipere de viro cuius integritatis testimonium iam e multis probationibus exceperunt. Quod si rursum haud talia sed defectus sane nobis omnibus communes respiciat denegatio consensus Paternitatis tuae, ut huic ordinationi obstet, quis vero nostrum e periculo evadet? Quis potest dicere : « mundum est cor meum, et a peccato purus sum[1] »? Seu cuius fiduciam conscientia peccatorum suorum clam non contundat? Ego quidem de me ipso sincere censeo me nec caelo nec terra dignum esse, et nunquam manus meas pure lavisse, cum altare Domini circumirem. Iam etiam me misericordia divina indignum esse ipse confiteor; miser homo sum, passionibus prostratus. Attamen benevolentia Dei me multum tolerat. Attamen ecclesia Dei quoque oculo misericordi me intuetur. Attamen nec viri honesti nec illi divini vilitatem meam contemnunt. Scit enim sane omnis intellectus sapiens defectus alienos magis quam suos sufferre. Sic nostra interest alios cum aliis et respectu ecclesiae Dei ita vivere.

Puto, honorate Pater, cum praestantiora ex his noscere potueris, et etiam praesertim ex illis qui rem edocti sunt, debebis instituere.
*p. 75. Non vero aequum aut *praestans est vi orationis negotium in opinionem scandali mutari. Quomodo enim non mutaretur et praesertim a linguis velocibus? Mox nomine horrendo videlicet invidiam negotium ipsum vocarent, et temet et nos et totam mentem communitatis perturbarent. Forsan etiam extra pascua ecclesiae irrueret scandalum. Quis posset vivere, aut quis ad excusationem cotidia-

[1] *Prov.*, xx, 9. In textu lege [illegible] pro [illegible].

nam non cogeretur, si conscientiam possidet quae opprobio commoveatur?

Sane, Pater, gratiam coram te inveniam. Excipe cum conscientia paterna orationem vilitatis meae, et constitue vi sapientiae tuae expletionem eximiam negotii urgentis. Leni desiderium filiorum tuorum pulchra petentium. Cura gregem tuum parvum in statu instanti. Impertire quoque vilitati meae gloriationem acceptionis orationis meae, ut forte in eventibus futuris familiaritati hodiernae fidam, fiduciaque plenus accedam, auxiliumque Dei bene sentiens alios quoque adiuvem ope Paternitatis tuae, et honorem Paternitatis tuae in aliis et ante multos futuros in illo praesenti augeam. Ille enim, cui duarum metropolium cura bis credita est, dioecesim hanc parvam pacificamque gratia Dei et auxilio Paternitatis tuae omnino et sine offendiculo regere potest, ita ut per eum pro te honos et pro ecclesia Dei utilis ordo crescat, pro vilitate mea et pro eis qui bonum cupiunt religionis causa crescat ad gloriam Dei; qui misericordia sua honorem Paternitatis tuae in ecclesia sua insignem reddat per omnes dies vitae tuae, amen! — EXPLICIT.

XLIII. — * FIDELI VERO QUI PAULLUM GLORIA EI CONVENIENTI CARET, PRINCIPI NOSTRO HONORATO ET PROBATO MAR IAZDANNAN, ÎŠÔ'YAHB : IN DOMINO NOSTRO SALUTEM. * p. 76.

Quod nec studio voluntatis nec etiam agitatione rerum cotidianarum contigerit olim vilitati meae aut magnitudini tuae alterum alteri occurrere ne per lineas quidem tantum epistularum inde a longo tempore, constat iam et tibi et mihi et eis qui de hoc curant. Cum a te culpa huiusmodi liberatus sum propter causas manifestas, tamen memet debito excusationis submitto. At, postquam mutatio opinionis illius adversae honorabilitati tuae a sacerdotibus Dei supervenerat, adeo ut periculosum superesset detrimentum pro dolore nostro et miseria totius ecclesiae Domini, decebat me debilem cum alacritate mentis pone auxiliatorem tuum accurrere et paullum aquae in ablutionem iniicere. Quod si ad medicinam spectet opus, in parte ministrorum me ponam; si vero ad suasionem et intellegentiam perfectionemque auxilii pertineat opera, non etiam tali in casu a numero eorum abero, qui honori tuo et bonae famae tuae incrementoque virtutum tuarum student.

Nunc quidem, cum a rebus adversis quae acciderunt, a commo-

tione continua vicissitudinum molestarum et a moestitia magna, quae omnes homines in imam desperationem mersit, impeditus essem ego quoque quominus quod debebam agerem, subito et inter miserias proprias, quas in me excitavit Satanas per ministros volun- *p. 77. tatis suae, qui sunt haeretici, hostes Dei, *mihi supervenit epistula Caritatis tuae, e qua afflabat studium amoris fidei verae cum suavi odore, et qua in me debilem et pusillanimem hominem incitationem ad pugnam immisisti. Te quoque decet studium fidei et amor *ὀρθοδοξίας* a quavis parte : a patre quidem, cuius fides, opinor, non multum minor quam Petri et Abrahae fuit; a matre autem, quae non multum etiam mensurae magnitudinis fidei coniugis sui impar fuit; et a te ipso, quia iamdiu vim intellegentiae possides, quae negotia huiusmodi probare valet. Pulchre igitur anteivisti ad auxilium meum in certamine, quod in nos immisit Satanas per impios, qui dolos eius ministrant. Crescat nunc robur tuum in hoc, auxilio Dei te firmante. Auge cotidie adhortationes abundantes usque ad perfectionem eximiam, quae ad laudem Dei movet omnes homines, qui quovis in loco Deum timent.

Quis sit modus facinorum quae ibi aguntur, hoc est, impudentia impiorum initiumque impetus stultitiae eorum et illorum qui deinde se violenter gesserunt, et quomodo nunc cotidie gubernatores concitent et in regionis homines perturbationem continuam moveant, et quid ego quoque coactus agendum esse putavi eundo aut etiam mittendo ad gubernatores, ne omnia talia in epistula describerem, quae ad mensuram nimiam protraheretur, ecce misi coram te, res cunctas tibi renuntiaturum, fratrem nostrum honoratum Mar Ḥnānīšoᶜ archimandritam, ut ab eo quae necessaria sunt audias, necessariaque tu ipse facias.

Post haec, oro te per misericordiam Dei, ne rationem vitae tuae in aliquid mutes, quod contrarium religioni Dei existimaretur, nec *p. 78. hostibus *Domini ansam praebeas stigmata honori *tuo* imponendi tanquam membro honorato corporis Domini. Ne sit pro contritione cordis ulcus transgressionis tuae, in quo figeretur cotidie spina torquens, *id est*, convicium inimicorum. Sane, o frater, da requiem amicitiae meae in Christo. Revertere ad conscientiam tuam cum dolore mentali. Intuere paullum prope, et intellege paullum longe. Exemplum virtutum sit tibi pater tuus corporalis, qui probationem magnitudinis fidei suae ex operibus ipsis Deo ostendit, cuiusque testimonium sollicitudinis suae pro religione Dei ore multorum cele-

bratur. Cur ergo huius instar non essent constantia in generationibus domus tuae pia vestigia sacerdotum Dei? Cur non sanctificaretur cotidie mensa tua benedictionibus sanctorum Domini nostri? Cur non abundaret omni tempore coenobium tuum orationibus puris ministrorum Domini? Et, ut sublimius loquar, cur non a te ipso emendarentur et ad bonum ordinem reducerentur quovis in loco omnes qui correctione indigent et honestatem despiciunt? Sic enim oculi tui et oculi nostrum omnium viderunt haec omnia, convenienter et in Domini religione, viri beati illius fuisse, cuius naturae et domus et honoris heres es. A Domino tota est gratia, a te quid sit nescio.

Igitur, o frater, quaeso, memento gratiae Domini nostri. Memento afflictionum mortem afferentium, quae saepissime ex ima desperatione ad vitam absque spe te revocarunt. Memento totius periculi passionum, quae vitam nostram brevem per angores varios torquere possunt, et mortem naturalem in amaritudines rerum adversarum convertunt. Memento quod pulvis sumus, et tanquam vapor dies nostri sunt super terram[1], et tanquam aqua sumus, quae effunditur in terram nec colligitur. *Scio, frater, scio te virum cordis *p. 79. robusti et hominem timoris expertem atque passionibus minus dolentem esse. Et ex inde etiam quod peccata despicis sicut correctores despicis, tibi accidit quod scriptum est : «audacia et impudentia peccata firmant». Quis enim est Paulus, aut quis est Apollo[2], quibus irasceris? Num inimici sunt qui veritatem tibi praedicant? Num tanquam homines astuti dolo te decipiunt? Num educator tuus seu etiam condiscipulus tuus ab antiquo non est tibi sacerdos civitatis tuae, num amicitiam immortalem non merito habet tecum et cum tota domo patris tui? Debita bona nonne olim imposuistis ei et eius populo coenobioque? Malumne forsan pro bono eum decebat solvere tibi? Sed maledictus est a Scriptura[3] qui talis est. Malum ei revera retribuendum esset si a reprehensione tua destitisset et abstinuisset in tempore quo etiam super ecclesiam Domini effusum est scandalum transgressionis tuae. Vir inimicus fuisset si tota vis potestatis eius in certamine correctionis tuae non valuisset. Nunc etiam, cum fecerit quod debebat et legem spiritalem caritate humana expleverit, cur inimicus a te existimaretur, quia tibi veritatem praedicavit?

[1] Cf. Iob., viii, 9. — [2] Cf. I *Cor.*, iii, 4. — [3] Cf. *Prov.*, xvii, 13.

Sed fortasse dices : « Frustra vexatus sum, innocens sum in *oculis meis et coram Deo.* » Bene. Cur vero de innocentia tua palam non certiorem facis conscientiam sacerdotis, amici tui, et omnes sanctos Domini? Id enim cupiunt et orant omnes ut inveniant, id est, ut te liberum a culpa habeant. Si autem non pura est conscientia tua coram Deo, quia a sacerdotibus eius vituperaris, cur igitur sacerdotibus irasceris? Seu cur correctionem tui ipsius contemnis,
*p. 80. id est, adversus *correctores tuos pertinax es? Putasne sic eos detrimento a te affici? Manifestum quidem est ubi maneat detrimentum. Si autem nec illud nec hoc, tamen in conscientia nempe perturbata, quae caligine duritiae animi occultatur, despicis sane et neglegis et spernis et contemnis leges vivificantes vitae christianae et sacerdotes humiles qui eas vindicant. Scito igitur oratione maxima sanctorum tibi opus esse, si, absit! in hunc lapsum inclineris. Quod acciderere ne sinat Deus; ne pro contritione populi nostri et laetitia hostium sit dolor apostasiae tuae et mali quod te vicisset. Ne dicant illi qui te oderunt : « Euge, euge, viderunt eum oculi nostri[1]. »

Sed Dominus liberet; Dominus salvet; Dominus adjuvet; Dominus misereatur; Dominus sit propitius; Dominus convertat; Dominus sanet; Dominus e pulvere peccatorum excitet et e pulvisculo passionum erigat; « Dominus det cor novum et spiritum novum[2] »; Dominus det vim roburque servo suo. Benedictus sit Deus!

Persevera in oratione, nec ministerium Domini te eiiciet. Lectionem *librorum Spiritus cum suavitate intellegentiae accipe.* Quoties sanctificabuntur *mysteria* divina, super faciem tuam humi te prosterne, dole et effunde lacrymas. Verbum publicani saepissime absque interruptione retine dicens : « Deus propitius esto mihi peccatori[3]. » Cum studuerit cor tuum gemitibus orationis, Dominum invoca, et oculos intellectus tui aperiet, ut scias qualis sis et quid te agere deceat. Cum sciveris, provide correctioni tui ipsius. Cum correxeris, dilige eos quibus de te cura fuit. Cum dilexeris, honora eos tanquam sacerdotes Dei et gaude cum eis. In communione laetitiae lauda
*p. 81. cum eis *Deum adiutorem tuum. Praebe quoque vilitati meae et toti ecclesiae sanctae causam beneficii et gratiarum actionis ad gloriam Dei misericordis, « qui omnes homines vivere et in cognitionem veritatis vitamque iustitiae verti vult[4] ». Gratia sua te firmet

[1] *Ps.* XXXIV (XXXV), 21. — [2] Cf. EZECH., XI,19. — [3] LUC., XVIII, 13. — [4] Cf. I TIM., II, 4.

ad agendam voluntatem suam omni tempore per cunctos dies vitae tuae, amen! — EXPLICIT.

XLIV. — REVERENDISSIMO PATRI NOSTRO PIO MAR GABRIELI, EPISCOPO METROPOLITAE, IŠŌ'YAHB : IN DOMINO NOSTRO SALUTEM.

Prope nidum Satanae habitandi sortem a peccatis meis mihi obtigisse, o Pater, ubi quovis anno basiliscorum ova *ille* excludit, *et foetus corruptores ex eis nanciscitur* ad omnium hominum perniciem, sicut rem omnibus compertissimam, iam novisti. Quo autem modo, quando mundi perturbationem et afflictionem inveniunt tanquam malignitate aeris temperiei nutriantur et roborentur, citoque serpant ad nocendum hominibus debilibus, tantum praesentire licet nobis, quibus cum scorpionibus secundum verbum Dei ad prophetam [1], id est, cum nido basiliscorum, ut dixi, habitandi sors obtigit. Idcirco famam malam superbiae iniquorum velut e scopo proximo mihi conspicuam longe praedicari a me oportet, ut quivis de vita sua pro facultate virium suarum ad cavendum moveatur. Mundo enim, o Pater amans Deum, extremum finem accedisse novisti. Venit iam et ubique valet rebellio illa a spiritu Dei praedicta [2], quae cum apparitione Satanae prodire debet. Seu forte proximum est, *scilicet revera exoriri coepit hoc *verbum :* «Filius *p. 82.
hominis veniens, putasne, inveniet fidem in terra [3]?»

Ut multa alia omittam, quae ego fortasse propter pusillanimitatem debiliter considero, hoc tantum est, de quo Pietati tuae paullum renuntiando etiam scribere cogor. Hi nempe impii et blasphemi, de quibus agitur, stultitiae suae impetu in spem diabolicam abrepti, tempus rei bene gerendae ob manifestas causas nacti sunt. Una et praecipua fuit indulgentia principum hodiernorum in illos qui cum incantamentis argenteis et precibus aureis eos ipsos adeunt. Secunda, multitudo *sociorum* improborum, qui olim ab haeresi propria imbuti, nunc vero inter potentes numerantur. Tertia, gratia et auctoritas civium Tagritensium apud principes et praefectos loci. Quarta insuper, vis satanica, quae filios inobedientiae urget, ne in amore veritatis (*fidei orthodoxae*) perseverent quo viverent. Itaque sponte sua iverunt et more suo accesserunt. Cum nullum verbum sapientiae dixissent, neque preces sanas obtulissent,

[1] Ez., II, 6. — [2] Cf. II *Thess.*, II, 3. — [3] Luc., XVIII, 8.

nec etiam specimen familiaritatis Domini nostri ostendissent, neque omnino quidquam, quod alloquio principum sapientium congrueret, praestare potuissent, expletionem cupidinis suae sumpserunt se vertentes ad nos perturbandos. Praefectum quippe huius loci sibi plene faventem invenerunt. Descenderunt ad latrinas ante portam urbis nostrae *positas*, utpote qui ecclesiae stercus sunt, domumque irrisionis et despectionis nomine ecclesiae sibi construxerunt ad *p. 83. locum proximum, quo omnes exonerandi ventris causa de *more secedere coguntur. Inde autem perturbationis causas cotidie excitant, praesertim per continuas blasphemias, quas adversus ecclesiam Dei impudentissime cotidie effutiunt. Qui in populo nostro honoribus fruuntur, antiqui artifices eorum haeresis sunt, ipsis digni sunt et ad ipsos tam natura quam voluntate pertinent.

Sed ille, qui inter omnes principatum tenere putatur, et cui tempus satis prospere fluit, ex patre quidem christiano orthodoxo, ex matre vero christiana haeretica natus est. Cum a matris religione incepisset, et ad paternam fidem aliquantum inclinavisset, postea etiam in meram gentilitatem lapsus fuisset, quod pluribus compertum est, postremo rursus cum turbida gentilitate communionem haereticam coniunxit. Tandem tam hominum convicio quam conscientiae vexatione coactus, ad ecclesiam Dei tantisper remigravit, donec a mortis metu et principum timore liberatus, nunc denuo, sicut canis ad vomitum, ad amaras radices ab ipso per eius matrem pullulantes reversus est impetu nequitiae *abreptus*, fautoribusque iniquitatis columen fidum *se praebuit*, quae desiderantur suppleturus. Propterea extolluntur et superbiunt, et intolerabiles fiunt, ut scriptum est[1] : «Vidi impios superexaltatos et elevatos sicut arbores saltus.»

Populus noster, roboris pauper divitiarumque inops, potestate et cognitione mundi plene caret, sed apud eum, iuvante Deo, invenitur studium fidei verae. Multum ingemiscunt et torquuntur turpi visu immundi signi, quod Satanas prope portam urbis eorum posuit. Saepissime etiam studii aestu incenduntur, adeo ut *p. 84. in mortis periculum incurrant res intempestivas* meditantes. Attamen visum est mihi utile esse populo, fidem amanti, solita adhortatione, ab impetu perturbationis eius, quietem dare, meque ipsum ad saeculares potestates conferre, etsi morbo corporali

[1] *Ps.* xxxvi, 35.

doleam, qui animi cruciatu angoreque non multo minor est. Iam, Dei ope, iter ingressus sum, sciens me Tagriti in medio velut in theatro iniquorum versaturum. Praeter Kabab ipsum, qui fortasse medium se gerit, multi sociorum eius adversarii mei et adiutores iniquorum sunt. Sed, ut scriptum est[1], «potens est Deus omnem gratiam abundare facere in servis suis». Etiamsi enim ob indignitatem debilitatis meae veritatem suam (*fidem orthodoxam*) sineret paulisper despici sub superbia persecutorum eius, ne ita quidem mihi peccatori inutilis esset labor parvus pro causa veritatis eius *sumptus*. Gratias misericordiae eius erga me in his omnibus. Quod si autem praestantiora efficiamus, et veritati fidei eius gloriam congruentem praestemus hoc in tempore, quod scilicet tempus est derelictionis mundi, ecce iam per concordiam multorum augebitur religio ad laudem nominis eius sempiternam.

Quod si potest sapientia Paternitatis tuae, venerande Pater, aut etiam studium populi Christum amantis, cuius germen fidei suae stillicidiis Dei gratiae crevit, aliquid auxilii cogitationum sanarum aut etiam adiumentum operae corporalis, aut quidquid in instantem pugnam necessarium est, praestare, stude diligenter, ut excellentiam vestram sublimem decet, omnibus rebus pulchritudinem christianorum gloria honorabili ornaturis. Si autem a talibus negotiis vos avertit tempus adversum, propter nos in ecclesia Dei particulariter dolete, *et orate pro nobis cum corde supplicanti, ut Deus portam oris *nostri* aperiat ad reddendam veritati fidei suae (*religioni orthodoxae*) laudem congruentem, et redeamus pacifice ad ministerium civitatis nostrae absque perturbatione afflictioneque iniquorum. *p. 85.

Ut sciatis quid apud nos agatur et quid gerendum cogitaverint, ad vos misi fratrem venerandum Mar Ḥnānīšōʿ archimandritam. Eum igitur in Domino pro more accipite. In pace et celeriter eum dimittite, ut ad me cito redeat, ubi Deo misericordi in gratia sua placebit, nos certiores facturus. Detur salus vilitatis meae per Paternitatem tuam cunctis filiis Paternitatis tuae, dilectis fratribus meis et communitatis. Ora pro me, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

[1] II *Cor.*, ix, 8.

XLV. — Deum amantibus Fratribus dilectis, clericis castis et populo fideli, urbis Balad civibus, Išoʿyahb : in Domino nostro salutem.

Quae ad me scripsistis, fratres, legi et ob studium vestrum in religione Domino nostro gratias egi. Attamen stupore dubii multum sollicitus fui, cum subito in laetitia rerum gestarum versarer. Infinitus quidem est, ut videtur, aestus studii vestri praesentis ad curatorem spiritalem tempore universalis neglegentiae vobis comparandum. Infinita autem est quoque simplicitas impetus in res, quae ab antiquis legibus traditum ordinem servant. In illa quidem re usque ad simplicitatem *it* petitio; in hac autem usque ad simplicitatem[1] obedientia communitatis totius, id est, ducum communi-
*p. 86. tatis. Itaque, amici mei, usque ad exitum *rerum, iucunda simul ac metuenda mihi est incitatio caritatis vestrae. Haud quippe adhuc scio qua ratione a duce gubernationis ecclesiasticae aut etiam a rectoribus communitatis aeque iudicabuntur quae nunc per vos nove evenerunt. Nova profecto est haec res. Quomodo Baladensibus visa est? Quis vero eam possibilem esse demonstravit, quae a nemine probata erat? Undenam mutuo sibi obviam occurrerunt tali in occursu et urbs episcopo indigens, et episcopus urbe indigens, et populus de persona concors, et persona populo contenta, adeo ut aestu abrepti sibi invicem occurrerent. Cum vero haec aliquis considerat, in dubium mentis effunditur usque ad demonstrationem rerum, id est, usque ad exitum perfectum, ut dixi.

Cavendum igitur omnino est, ne populum paeniteat huius quod fecit, neve persona de consensu doleat, neve metropolita multum moveatur ad aliquem perturbandum, vel ipse rebus peractis perturbari debeat. Ne autem ad patrem nostrum patriarcham cum mutatione opinionis per alios perferatur fama eorum quae gessistis. Sed solvite diligenter cuivis quod ei debetur : cui honor honorem, cui dilectio dilectionem, cui obedientia obedientiam, cui supplicatio supplicationem, et patri nostro patriarchae, ante omnia, factorum notitiam. Notae sunt sane tam vituperationes quam laudes rei actae et, ut breviter loquar, eae sunt : pulcher est episcopus quem elegistis; pulcher est quoque populus qui eum elegit; pulchra est concordia in electione, quae a toto populo et etiam cum populo ab

[1] Lege in stat. emph. ܦܫܝܛܘܬܐ.

advenis constituta est; pulcher est quoque *impetus sollicitudinis *p. 87. vestrae, quia ducem spiritalem pro vobis petere non fastidivistis eo tempore, quo a multis honestas spernitur; pulcher est quoque labor magnus quem suscepistis supplicationes ad metropolitam *mittendo*, aut etiam ad eius intercessores. Sed non pulchrum est, opinor, studii impetu in potestatem vestram talia negotia rapi; neque pulchrum est, in simplicitate scilicet amoris virtutis, ab aliquo contemni ordinem ecclesiasticum, qui a traditione antiqua canonice fluit et consensum congruentem ab omnibus coetibus ecclesiae postulat.

Quod si facile est, fratres, offendiculum sanare, quod ob talem incongruentiam patribus communitatis accidit, aut etiam accidet, facite diligenter absque contemptu quidquid vobis melius videtur. Necesse est enim de hoc praemeditari antequam opus aggrediemini. Quod sic constitueritis peragite.

Dominus ante vos portam pacis suae ubique aperiat, vosque spiritu sapientiae suae corroboret ad sanandas conscientias, quae medicina egent. Virtus supplicationis vestrae Dei ope ad unanimitatem et concordiam et caritatem vobiscum metropolitam vestrum et omnes Patres communitatis adducat; et sedes *episcopalis* urbis vestrae recto modo constituatur; et super eam in veritate *tanquam* in tabernaculo Domini sacerdos carus quem elegistis sedeat. Spiritus Domini iucundus eum in viam vitae ducat, ut ius exquirat, iustitiam incitet et sanctitate peccata populi longos per annos purificet. Operibus eius Dominus laetetur. Populi anima in eo exsultet. Robur eius in virtutibus crescat. Precibus eius populus floreat. Pax urbis vestrae vigeat. Concordia caritate plena omnibus in ordinibus ecclesiae vestrae abundet. Dextra auxiliatrix Dei vos *a cunctis *p. 88. detrimentis cotidie custodiat. Firmamini et sanctificamini, ut eius mandata quovis tempore per omnes dies vitae vestrae servetis, amen. — Explicit.

XLVI. — Ut mihi videtur, frater, omnibusque Deum timentibus placet, et a te quoque ipso fortasse laudaretur, sic solummodo ad te scribere convenit:

Casto et Deum amanti Fratri nostro honorato domino N....., Îšôʿyahb : in Domino nostro salutem.

Quaeso, o frater, desiste ab hoc labore, quem tibi imposuisti.

Parce ne omnium os de te loquatur. Cole Deum spiritu humili, studendo quieti utili, quae ab omnibus sanctis collaudatur. Ora pro pace mundi et pro pace ecclesiae sanctae. Ora quoque pro me, ut reliquos dies meos in vita quae Dei voluntati placeat, agam.

Sicut autem tempus postulat occasioque hortatur, et pietati tuae id tolerare placuit, ita forsan scribere oportet :

«Ei, qui sensus sui corporis laboribus spiritalibus sanctificavit, ita ut per eum mundo tenebroso lux mysteriorum oriretur; qui spiritaliter lampade intellectus sui fulgentis beneficia communia ministrat; qui splendore labiorum suorum cuivis animae salutem claram porrigit omnibus in temporibus angustiarum; qui pacis cibo et quietis suavitate corda oppressa hominum egenorum implet; qui omnino similis est illius quem verbum Redemptoris exemplum perfectis posuit; naziraeo vero, ascetae certo, exemplo completo vitae spiritalis, magistro nostro venerando, domino N. . . . . ; minimus et imbecillimus Išō'yahb peccator, *episcopi* nomen gerens
*p. 89. *formamque ministrans in conscientia misera, qui misericordia semper eget ad inveniendam gratiae spem a Domino universali : in Domino nostro salutis fonte salus sempiterna tibi crescat.»

Quod multo maior sit operum pulchritudo quam verborum laus, o mirabilibus clarissime, multorum conscientia scire potest; cum auxilium non minus sit ex victoria in illis *inventa* quam ex ipsa impossibilitate : in hac quidem usque ad necessitatem inopiae, in illa autem usque ad testimonium mentis. Quapropter non necessarium esse mihi videbatur, ut easdem laudes alter ab altero patiremur. Patimur? Quomodo non, si vel promissionum gloriationem paupertate[1] fiduciae coerceamus? Et multo magis inutile videtur, ei qui decore existimandus est interiori[2] : ipse finem parvitatis suae satis videt. Quapropter laudibus honoris tui, o caste, sufficiat gloria a Deo *impertita* quacum iam testimonium orbis procedit.

Quod autem tibi tantum suadendum esse credidi, nunc tibi suadeo. Scis quidem tanquam servum ministrumque populo huic misero Ninivitarum me impositum esse, et in omnibus passionibus adversis quae eis accidunt quietis ministerium a me vindicari. Clamabant cum omnibus ceteris : «Bonum curatorem et prudentem auxiliatorem, venerandum dominum N. . . », cuius opera in magna pace vivebant, et cuius labore multa beneficia obtigerunt regioni

[1] Legend. ܡܣܟܢܘܬܐ. — [2] Alludit ad *Ps.* XLV (XLIV), 14.

nostrae et praesertim ecclesiae monasteriisque et toti ordini nostro, sicut optime novisti. Sed quieti nostrae tempus invidit et a nobis virum utilem eripuit. Maximo in discrimine naufragium nobis est patiendum, nisi Deus reduxerit eum[1], ut iam nunc subire coepimus. *Idcirco te sollicito, populi huius miseri nomine, cuius ad *p. 90.
ministerium vocatus sum, de istis ad principem ducemque communitatis scribere velis, ut ad nos hunc virum N... reducat. Potes, si tibi libet, nobis valde auxiliari. Sine impedimento exaudietur petitio tua pro quiete nostrum omnium et nobiscum totius quoque regionis nostrae. Ne igitur auxilii munus a populo misero avertas, qui te, o Deum amans, invocavit; sed age de more tuo et succurre debilibus qui te precantur. Epistulae tuae de hoc adiunge suasoriam vim, qua ad utilem finem postulatio debilium adducetur. Da nobis tanquam a te ipso hunc virum ducem. Cum autem hoc feceris, vitae rationem pacificam nobis comparaveris, praecipue vero ecclesiis monasteriisque et omnibus sanctis qui in eis *degunt;* ita ut, quando sine mora ministerio communi cum solitis precibus fungi possent, tibi opitulentur in certamine pro pace mundi *suscepto* ad gloriam nominis Domini : ipse gratia sua perfectionem tuam in ecclesia insignem reddat ad gloriationem cultorum suorum, amen. — Explicit.

XLVII. — Venerandissimo patri nostro Mar Cyriaco episcopo metropolitae, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Accepi laete epistulam Caritatis tuae, o Pater Deum amans, et de sanitate tua Domino gratias egi. Eo autem quod tumultu continuo vicissitudinum contristantium multum vexati estis, multo dolore quoque affectus sum. Paullo enim ante, doloris suspicionem habere coeperam quod illic invenirentur res utiles, quae civibus urbis vestrae e fertilitate terrae abundantiam sane iucundam praebebant, et terrebar spem exiguam fovens *propter ista. Num forte *p. 91.
inopiae necessitas populo diviti subito acciderit, et flatu discriminum urgentium quieti homines abundantiam vitae suae perdiderint, et adduxerit miseria Nisibis in plateas Assyriae blandimenta ventris delicati, quibus vici Nisibis cupidinem cibi porcorum cotidie excitabant? An sane id evenit quod venturum esse incredibile erat? Urbs magni nominis et cunctis bonis abundans, quae milia homi-

[1] Legend. ܐܠܐ ܐܠܗܐ ܠܐ ܢܦܢܝܘܗܝ; cf. text., p. 90, l. 3.

num multa nutriebat, ad agrum famelicum e ruina Assyriae relictum se vertit ad inveniendum iuvamen aliquod pro egenis suis angustiarum in tempore.

Cum itaque in volvendis huius modi cogitationibus versarer, perbrevi tempore elapso, accepi epistulam Paternitatis tuae, qua lecta, doloris suspicio in dolorem indubitatum soluta est, et cum vestris doloribus contristarer. in doloribus cuiusvis modi nobis paratis moratus sum, et dico nunc illud quod ab ore sancto et vivificanti dictum est[1] : Quia si in viridi ligno haec acciderint, quid ergo in nobis fiet, qui lignum aridum natura et voluntate sumus? Gratias misericordiae Domini nostri sive pro istis sive propter ista. Oret igitur nunc Paternitas tua, quaeso, ut conscientiam, quae patientia benevolentiae Dei erga nos digna sit habeamus. Forsan ex omnibus beneficiis et ex correctione ipsa fructus vitae aeternae nobis dabit *Deus*. quibus utinam digni nos omnes simus per misericordiam benevolentiae Dei nostri, amen!

Operi quidem, quod a Castitate tua epistulae tuae ad me *scriptae* argumentum sumptum est, expletionem eximiam cum conscientiae alacritate dare voluissem, sed animi mei cupidinem debilitas virium, quae opera corporalia regunt, impedivit. Sic pro tempore, sic pro
* p. 92. domo, sic pro* facultate nostra. Ad Paternitatem tuam virtualiter et ex sententia mille coros[2] hordei, in mensura autem et quantitate centum gribhas[3] misi, sicut mihi scripseras. Si vero his rebus paullo post nobis opus esse videbitur, caput summae cum foenore incrementoque et amplius nobis dare necesse habebitis. Si autem gratia Dei ab earum indigentia nos tuebitur, magna ecclesia Nisibena mille coros hordei debitrix nostra erit in aevum. Laetitiam cum dolore valde permiscens dico : perscrutatus sum omnia mea gazophylacia cum omnibus meis horreis ad inveniendum rem aut negotium, quibus utar ad retribuendam salutem supplicem, quae a Paternitate tua ad vilitatem meam missa est, sed nihil inveni, ut dictum est ubi dictum est. Fructus enim agri nostri et proventus fluvii nostri in habitacula nostra afferunt divitias tales, hoc est inopiam! Sed ante aliquot dies nutus Domini nostri voluntatis ex regione inferiori nobis paucos dactylos infudit, quos ad Paternitatem tuam misi, donum abundans, cuius magnitudinem non exhaurietis! Sunt quidem numero multi, nec multo minores quam ut unum par-

[1] Luc., xxiii, 31. — [2] Nomen mensurae. — [3] Mensura, trigesima pars cori.

vum modium impleant. Accipiat igitur Paternitas tua negotium, ut decet, et ora pro me. — Explicit.

XLVIII. — Filiis debilibus fidelium verorum et christianorum orthodoxorum, Qamīšō', Sanīa, Babusa, Ḥnānīšō', Isaac, Bar Sahdē et Dadiazd, Īšō'yāhb peregrinus, qui gratia Dei ecclesiam *sanctam *p. 93. Ninivitarum administrat : in Deo ipso omnipotenti, crescat vobis salus.

Lapsui mundi et ruinae hominum vitae valde congruit malum fidei deficientis, quod nunc pati vobis solummodo ante ceteros perditos contigit, o homines miseri, quia in vobis iam expletum est *verbum*, quod a Domino de temporibus praesentibus dictum est[1] : «Filius hominis veniens, putasne inveniet fidem in terra?» Clamatis quidem nunc, tanquam per vocem, per exemplum actionis vestrae contra dubitationem verbi Domini nostri : «Non sane! Apud nos nulla est fides.» Quomodo? Ego enim olim audivi, nec credere volui. Iterum audivi, et coactus sum id pro vero indubioque habere, quod ad vos daemon quidam ex illis volaverit, qui in monte Alfaf rebellarunt, susurraveritque vespae instar molestae ad portam anguli, super quem a vobis positum erat veneratum nomen ecclesiae sanctae in arce Babaei discipulorum. Ad eam *portam* rythmos incantationum suarum eiecit et abiit, et vos omnes tanquam lapides inanimi vosmet devolvebatis, ora vestra sine voce claudebantur, membraque vestra sine actione arefiebant. Nemo inter vos inventus est qui manum ne usque quidem ad frontem admoverit, et super faciem suam signum crucis fecerit, seu super cor suum, ut ad vos Dei auxilium perveniret, utque e somno caecitatis conscientiae excitari possetis et videre ad quantam vilitatem ineptiamque, ad *quantum contemptum* irrisionemque vos perduxit Satanas per corvum impurum exagitationis suæ ministrum. Sed, ut dicunt, sine motu, sine passione, sine sensu perstitistis tanquam *idola muta; *p. 94. cum ne mysteria quidem sancta illinc auferre potuistis, saltem velut homines debiles, qui modocunque in una necessitate operum suorum sollicitudinem maximam infirme ostendunt. Sed velut homines qui sine spe et sine Deo in mundo sunt, mysteria ipsa sancta et vivificantia intra sigillum daemonum reliquistis, et omnes

[1] Luc., xviii, 8; cf. supra, p. 63, l. 20.

ad commorationem peccatorum vestrorum abiistis cum oris confusione quam non sensistis.

Quis igitur super vos flere iam posset quantum decet? Aut quis precum ligamento vulnus vestri lapsus obligare valeret? Aut quomodo vos miseros et cordis gemitu dignos non haberet quivis homo, qui in se conscientiam christianam custodit? O viri miseri et sopiti, si hortationem perciperetis, si Satanas totum intellectum iudicii vestri omnino non delevisset, vobis hoc committerem, quod argumentum huius fidei vestrae, id est vestræ infidelitatis et inertiae vestrae in hoc facinore miratu et vituperatu digno, initium lapsus multorum mihi videtur esse, qui tempore Satanae adventus in mundo a fide orthodoxa et a spe vera se perdere debent, «in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt», ut dictum est[1].

Obstupesco magnopere dubitoque et in imam pusillanimitatem me demitto, praecipue dum considero unde et per quem peccati procella advenire coeperit, id est per vos. E vobis nonnulli etiam ipsorum natura filii fuere episcoporum beatorum. E vobis nonnulli quidem heredes certi fuere fidelium verorum et discipuli lecti sacerdotum venerandorum. Nunc segnitie voluntaria totam famam eximiam patrum vestrorum perdidistis!

*p. 95. Utinam fieri posset ut a somno mortis nunc excuteretur *beatus Simeon episcopus, cuius diebus haec zizania haeretica in agro Christi in hac regione orta sunt, contra quae ille magna certamina instituit usque ad sanguinem mortemque, donec ipsius certamen et sedem et honorem et domum et hereditatem heredi eiusdem naturae tradiderit. Utinam ipse nunc veniret et filios filiorum suorum videret, quorum alii suos filios filiasque tanquam oblationes haereticis Satanae ministris *offerunt;* et alii christianorum sacra contemnunt, velut homines qui mentem perdidere, et socii, sodales, fautores, veneratores, laudatores et adiutores haereticorum sunt, quorum tentamenta ipse sustinuit. Quid putaret? Quantum doleret? Quibus exclamationibus filios suos infirmos deploraret, qui hereditatem bonam fidei eius respuerunt et haereticis adhaeserunt[2]? Sed peritis manifestum est argumentum eius doloris, quamvis os eius sacerdotale nunc sileat a correptione quae stultitiae filiorum eius congruit. Forsan aequo tempore eos redarguet coram tribunali formidando Christi Domini nostri.

[1] II *Thess.*, II, 10. — [2] V : «et *eam hereditatem* haereticis tradiderunt».

Sic quoque beatus Qamīšōʿ episcopus, qui cultum idolorum a stulto vulgo opera sollicitudinis suae amovit, et hereditatem bonam fidei orthodoxae filiis disciplinae suae et filiis suis corporeis tradidit.

Sic et fideles patres uniuscuiusque vestrum, qui fama bona et fide pura *insignes* e vita corporali decesserunt, et vobis hereditatem suae fidei et opum et honoris et ditionis et principatus reliquerunt. Fortasse cum, armatura orationis, spem de vobis apud Dominum omnipotentem firmaverint, vobis *auxilio Dei et fide et oratione *p. 96. patrum vestrorum custodientur omnis honos et principatus et ditio regionis vestrae hoc in tempore, ita ut ne unam quidem causam excusationis inveniatis segnitiei neglegentiaeque quibus utimini. Sed, cum Dei iudicium in vos tempore opportuno iustificabitur, confitebitur quivis iustitiam Dei, cuius iudicia rectissima sunt.

Ego nunc, o homines debiles, quia e contemptione magna vobis solita censeo lectionem epistulae fortasse vobis taedio futuram esse, nec ab alio eam *epistulam* coram vobis legi forte vos passuros esse, propter hoc me taedet vobis de hac re scribere, quantum oportet. Puto etiam preces potius quam epistulam hoc tempore negotio vestro necessarias esse. Antequam vero Deus misericordia gratiae suae vos visitaverit, et ego peccator miserque vos viderim et sciverim quomodo sitis, quomodo apud vos spes bona fidei patrum vestrorum custodiatur, si custoditur; utrum ea quae acciderunt omnino sentiatis, an non; an, ne multis morer, e vobis virtutem christianam haud absolute eieceritis, volui de hoc vos probare, quamvis aliis aliter videatur.

Donec super corda vestra et super linguas manusque vestras studium fidei Domini sustineatis, sigilla impura rumpatis, quae Satanas per ministrum voluntatis suae super portam ecclesiae vestrae impressit, et in eam *ecclesiam* sollicitudinem congruentem ostendatis, ad eam aedificandam, ampliandam, ditandam et sanctificandam, sicut ecclesiam Dei decet, in unam ecclesiarum cuiusvis loci ingredi et mysteriorum divinorum participes esse, vobis non licet, per verbum Domini nostri. Si *id accideret, ut vos falsas cau- *p. 97. sas fingentes dicatis, aut haeretici vos decipientes *dicant* : «Iussu quidem Arabum evenit quod evenit», nullo modo verum est. Arabes enim Mohammetani illis non opitulantur, qui dicunt Deum omnipotentem passum et mortuum esse. Si acciderit, ut ex quavis causa eis opitulati sint, tamen Mohammetanis quid sit indicare poteritis, et eis de hoc suadere, si vobis curae est res, ut oportet. Agite igi-

tur, o homines fratres mei, ubique sapienter. Reddite quod est Caesaris Caesari, et quod est Dei Deo[1]. Utinam Deus altissimus, qui potens est omnem gratiam abundare facere in cultoribus suis[2], vos in omni bono labore perficiat, ut voluntatem eius quovis in tempore per omnes dies vitae vestrae faciatis, amen. — Explicit.

XLIX. — Reverendissimo Patri nostro Gabrieli episcopo metropolitae, Išō'yahb : in Domino nostro salutem.

Paullo ante, Pater, cum impiorum pugna vexaremur, ad vos velut ad firmas orthodoxae fidei columnas facies cogitationum nostrarum cito vertimus; quidquid tempus sinebat nosque parati eramus facere, sincera fiducia vobis per litteras significavimus. Neque multo post illorum seditionem, sed ab initio ipso expeditionis nostrae effusa est repente super nos misericordia gratiae Dei miraculo ineffabili, et impiorum pugnam a nobis repulit. Alios quidem procul, alios vero ad hiatus latebrarum eorum abegit, *p. 98. nobisque prodigio * laude digno solitam pacem restituit. Neque id solum; sed etiam spes nobis adest, ut demonstratio virtutis Domini nostri magis corroboretur ad profligandam impii audaciam, quae brevi momento gloriata est, ut iam pati coeperunt.

Gaudeat igitur Paternitas tua in istis, et Domino, ut aequum est, pro eis gratias agat. Pro futuris vero ora, ut ea Dei gratia ad gloriam sanctae ecclesiae et ad fidelium laetitiam feliciter succedant.

Mihi autem visum est illam quoque epistulam[3], quam paullo ante in media tempestate tribulationum, Pietati tuae scripseram, cum hac epistula ad te mittere, ut ministrorum Satanae pugnacitatem et divinae virtutis admirabilem operationem melius cognoscas, necnon celerem rerum vicissitudinem, quae subito nobis e misericordia illa incomprehensibili orta est : quae cum cognoveris magis admiraberis, et cum admiratus fueris, *Dominum* laudabis et glorificabis, et insuper pro mea imbecillitate orabis, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

[1] Matth., xxii, 21; Marc., xii, 17; Luc., xx, 25. — [2] II *Cor.*, ix, 8. — [3] Cf. Epist. xliv, supra, p. 63.

L. — Amantibus Deum Fratribus meis caris Iohanni sacerdoti et archidiacono, Ṭeʿi[1], principi fidelium Arbelensium, et omnibus qui cum eis mihi scripserunt, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Accepi et legi quae mihi scripsistis, et pro sollicitudine vestra de virtute quaerenda et demonstratione caritatis vestrae erga vilitatem meam Domino nostro gratias egi. Sed conscientia vilitatis meae non congruit cum eis, quae sane existimastis convenientia esse. Qua enim sententia, si quis bene *rem* perpendat, hoc in tempore utilem inveniet *mutationem huius modi? Aut enim spe *p. 99. commodorum spiritualium, aut cupidine *melioris* vitae corporalis et rerum quae felicissima sorte rationem hominum vivendi adornant, aliquis ut mores suos convertat incitaturne? Adorans Domini gratiam confiteor, quia moderata in quantitate iis rebus hic fruor, neque providentia divina vilitatem meam spe maiorum bonorum temporalium periclitari sivit, quae in locis sane aliis inveniuntur.

Quod aliquis laboris sui abundantiam, temperatosque ordines cura longa comparatos, variasque consuetudines bonas aegre acquisitas, et statum perpetui belli haereticorum ethnicorumque, simulque fructum qui ex istis ad utilitatem vitae spiritalis percipitur, cum ceteris rebus quae pulchris in modis ad ea pertinent, derelinquat et abeat ad minora incipienda, id, puto, non est viri sapientissimi. Fama enim vana homini nihil prodest. Idcirco pulchrum est quemcumque in vocatione ad quam vocatus est manere : modo de his quae Domino placent curet, satis est. Sed, si ad laetitiam vestram adiuvandam a me consilium petitis, vobis ostendere possum, quis ad ministerium ecclesiae vestrae administrationemque communitatis aptus sit cum Dei venia. Sunt enim Dei gratia qui huic rei conveniant, etsi perpauci. Novit Dominus qui ipsius sunt, et ecclesiam suam per antistitem idoneum benevolenter visitat, et auxilii sui donum nobis universis praestat. Curate ergo ministerium vestrum solitum, fratres dilecti, et vota spei vestrae in misericordiam Dei vertite; qui in benevolentia sua vos in omnibus visitabit, vosque ab omni detrimento custodiet, et *inopiam ves- *p. 100. tram misericordia gratiae suae implebit. Orate autem pro vilitate mea, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

[1] P : Ṭeni.

LI. — Sanctis Domini nostri et Patribus meis, Mar Ḥabîba, Mar Dazanaia[1], Mar Narsai, Mar Maremmeh et eis, qui cum istis mihi scripsere, filius communis caritatis Paternitatis vestrae Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Accepi et legi quae mihi scripsistis, et *pro sanitate vestra* Domino nostro gratias egi.

Si vobis dicerem quod dictum est[2] : «Ego dixi : Egredietur ad me, et stans invocabit nomen Domini *Dei sui*, et tanget manu sua locum, et plaga leprae curabitur», quid mihi diceretis? Sicut ei locuti sunt illius servi[3]? Aut quo modo redargueretis parvitatem fidei meae? Sicut Naamanum *redarguit* miraculo propheta? Species enim negotii mei indigebat et probatione cogitationum logicarum et huiusmodi miraculo. Si hoc utimini, id est miraculo, Domini nostri munificentiae gratias. Si autem secundum cogitationes corporales mei ipsius et mei similium non adhuc ad locum consensus pervenistis, quanto magis modum rerum propositarum exactum non praevidistis. E longinquo enim, nobis definire, cum rei faciem tantum adspicimus, perfacile est. Idcirco multi etiam sunt qui ea dant consilia quae dedistis, qui cum ad tractandas res propositas accesserint, sine argumento se intra verba continent, tantummodo dicentes : «Sic sane congruens esse videtur», id est quidquid vobis quoque videtur.

*p. 101. *Date igitur negotio, o beati, aut miraculum, velut Eliseus[4], aut preces pro eo, velut συμπαθικοί, si a disputatione mecum e propinquo vestigium sollicitudinis vestrae cohibetis. Secernite et mentem Domino consecrate, ut alacritate vestrae petitionis vilitati meae statim tribuatur quod voluntati Domini nostri placeat, et, si sua in gratia velit, sine pertubatione, sine scandalo et sine peccato debilitatem meam ducat *Dominus*, ut per reliquam vitam *imbecillitati meae hoc in mundo servatam et* in omni actu quod voluntati eius placeat agam quovis in tempore. — Explicit.

LII. — Patri meo dilecto et venerando Mar Gabrieli episcopo metropolitae, et Fratri meo caro et amico Mar Hormizd episcopo et, si videatur vobiscum mihi scripsisse episcopum urbis Bēth

[1] Ita e cod. P. — [2] II *Reg.*, V, 11. — [3] Cf. *ibid.*, 13. — [4] Cf. *ibid.*, 19.

Lapaṭ, illi, qui mihi adhuc Frater noster venerandus Mar Maremmeh est, Išōʿyahb frater vester : in Domino nostro salutem.

Quando signum externum epistulae cerni, quam mihi scripsistis, viri beati, prae his quae acciderant, revera stupui, et propter celeritatem mutationis ne credere quidem rem *possibilem* poteram : quando vero aperui, et narrationem mihi scriptam legi, maxime inductus sum ut mirarer; primo quidem hac *de re* : cur virum pium, quem ego paullo ante intercessorem pro me ad patrem universum (*Catholicum*) miseram, principem coetus meorum incitatorum nunc initio epistulae invenio, idque, cum pristinum ordinem teneret vobiscum, hoc est, cum hominibus noscentibus * trangressionem contuma- *p. 102. ciamque meam et ceteras consuetudines stultas meae simplicitatis; secundo autem, in quo innitatur iudicium vestrum mirum est, cum homini, cuius probationis ne famam quidem perceperatis, subito et quasi ante salutem datam ordinibus exercituum Domini praefecistis, et eum procul ad inferiores limites proiecistis tanquam per ventum illum qui τυφωνικὸς εὐροκλύδων vocatur[1]; et tertio insuper, quali impetu necessitatis vir ille humilis se corroboraverit, ut sine mora in huius modi procellam descenderet fidelem praestans obedientiam.

Ea multum miratus sum, pii Patres, sed magnopere etiam timui et veritus sum. Criminari quidem non ausus sum; laudare autem mihi difficile erat. Attamen, si a me provenisse designationem dicatis et fiducia mea vos firmatos esse, ut hoc perficeretis, cur vobiscum me non sumpsistis, quem talem credebatis? Mihi enim facultas erat, sicut etiam nunc est, multa convenientia et inconvenientia vobis ostendendi de eo, quod ego sane melius noveram. Etiam omnium interest scire hic inter Assyriam populosque vicinos excellentiam operum caritatis et mentem puram, quae disciplinis theologicis condita est, laudari, et habitum gravem, qui humili dispositione exornatur, honorari, et mansuetudinem et amoenitatem et humilitatem iudicii prodesse. Domino gratias, qui his rebus servum suum supra dictum donavit. Ultra autem et ʿElam versus interque γένος ϖραγματικόν, tales virtutes non magni penduntur, sed aptus est, ut dicam, vir requiritur. . . . .[2] et cetera hisce similia, quibus fortasse, sicut probastis, * vir supra *p. 103.

[1] Cf. *Act.*, xxvii, 14. — [2] Hic deest aliquid.

dictus caret, praeter quam alienus sit ab usu seu ab occursu huius modi rerum. Sed, si quis id dicat : «operi Dei opus Dei sufficere[1]», sane dicam ego ipse. Sed tempora et rebus temporalibus indigent. Id tamen si credenti in mente contemnimus, omnia fieri possunt ei qui credit, ut scriptum est[2], propterea quod Domini sit opus[3].

Sed tu, qui nimia obedientia victus es, obsequio vigilantiae tuae deficiente, paullulum perstare nequivisti, ne etiam usque dum advenirem. Quomodo tu victus fuisti antequam perveneris? Te tamen miseram ut pro me suaderes et quo te monueram Patrem nostrum (*Catholicum*) adduceres; et id, quia ego a vinculis quidem necessitatis impediebar quin irem, sicut tu etiam novisti. Tu ergo iussa oblitus es. Non solum Patrem nostrum ad me non duxisti, sed etiam tu, puto, a me in aevum discessisti. Non ita, beate, non ita; sed me omni modo invisas et deinde abibis. Cave ne in spe tua debiliteris, neque rerum actarum tristitia te submittat; neque a reprehensionibus meis ad pusillanimitatem te convertas, sed in spem auxilii Domini consurge, et humerum tuum obedientem ad iugum suave Christi protende. Ex quo inclinatus id susceperis, eius onere non torqueberis, quia suave et leve est[4], sicut antea legisti; et apud debiles perfici amat, et si naturam pulchram invenit, eius operam abundanter ornat. Optime ergo, cum utraque ratione ipsum accipere promptus eris, praedium ecclesiae suae per te colet secundum pulchram suam voluntatem, ut honore virtuteque eius nominis in ʿElam lampas tua splendeat et sale suavitatis tuae
*p. 104. oves Domini delectentur; *in gloriam communem sit omne opus ministerii tui, in te quiescat anima Patris nostri, et propter te Domino nostro gratias agat.

Vos autem, beati, dilecti animae meae, qui me vituperastis, seu potius suasistis mihi ut venirem, credite et pro certo habete voluntatem meam usque adhuc victam fuisse ab adversis rebus, quae nunc paullo minores factae sunt. Necessitates autem ut illuc eam haud magnas invenio, praesertim quia etiam audivi Patrem nostrum benedictum *patriarcham* huc proficisci se parare. Quod si ita evenerit, consilium habeo ut cum eo vos invisam; si autem aliter

[1] Punctum consilio, appositum supra voc. ܥܒܕܐ, ne aliter vertamus prohibet. Sensus est : ad opus Dei, seu regimen ecclesiae, peragendum sufficit actio seu auxilium divinum. — [2] Marc., IX, 22. — [3] Punctum in ܥܒܕܐ ne vertamus : «Domini servus» monet. — [4] Cf. Matth., XI, 30.

fit, id est, si necessitatibus negotiorum ulteriorum in moram traheremur, scribete mihi, ut aequum est, et, cum eundi facultatem nactus ero, cito vos invisam. Orate pro me, ut misericordia Dei dignus sim, vosque in pace videam.

Hactenus epistulae datae ab Išō'yahb episcopo; abhinc et ulterius ab Išō'yahb metropolita.

* p. 105.

*PARS SECUNDA.

Epistulae quas scripsit Išōʿyahb cum metropolita esset.

I. — Deum amantibus fratribus meis dilectis, clero casto et populo fideli qui in ecclesia sancta urbis Bēth Lapaṭ, Huzaeorum metropolis, Išōʿyahb frater vester : in Domino nostro salutem.

Opus invidia dignum timori Dei qui in vobis est, fratres dilecti, nunc accidit : accidisse vero non dicendum est, sed a providentia divina bene administratum esse ad incitandam communem fidem confirmandamque spem eorum qui Dominum exspectant. Cum enim patrem hunc sanctum venerandumque, vitae sacerdotalis effigiem sinceram, dilectae memoriae, patrem Mar Iohannem episcopum, metropolitam magnum, via naturae universalis ad caelum misistis, et ordinibus supra corpus excelsis spiritaliter commiscuistis, tunc haud sicut ceteri homines, nempe nos omnes, cogitationes humanas praevalere sivistis in inventionem bonam, quae excellentia sua vobis reliquum spei servare possit in omnibus bonis commemorationibus, quae vobis infixae sunt ab eo qui virtutibus pulchre fulgebat et ad caelum migravit. Itaque terram non exploravistis ad heredem pietatis eius inveniendum, sed cum spem fidei vestrae ad caelum direxeritis, a Domini dextra digni fuistis qui donum reciperetis pretiosissimum et par laudi fidei vestrae.

Posuistis enim sapientissime consensum voluntatis vestrae in
* p. 106. manibus fontis *pietatis, hominis Dei, patris nostri sanctissimi Catholici patriarchae, et ex eo, tanquam ex arbore vitae, fructum vivificantem decerpere voluistis. Cum autem motu spiritus Dei ramos cogitationum suarum flexisset, ex Sinai nostro, id est ex habitatione certaminum spiritalium, e medio igne vitae caelestis, e primo ordine exercituum Domini, ex probatis in tempore et honoratis in ordine, ex eis qui in perfectionibus pulchre completi sunt, fructum suavissimum et ornatum delectabili pulchritudine, decerpsit vobisque e longinquo manu paterna porrexit. Itaque, cum sollicitudinem et honorem omnium nostrum neglegeret, vobis donum tam carum fecit, ut vobis invideamus. Sedem magnam regionis

nostrae a spe futura abscidit, et qui nunc desiderio capiuntur de hac re gementes reliquit.

Vobisne forsan solummodo pater is sit, qui omnes alis suae benignitatis ut foveat institutus est? Sed ne hac in re viro mirabili invideamus. Oportebat enim postulationem pulchram concedi pulchrum postulantibus, id est vobis qui e longinquo per alas fidei vestrae volavistis, in sinu paterno consedistis, carissimum filiorum eius ab eo rapuistis et in longinquitatem inassuetam per manus invisibiles detraxistis. Duces aciei pugnatorum spiritalium praesertim *regionem omnium nostrum* in miseria reliquistis. Attamen nobis ipsis Dei auxilio pulchritudinem fidei vestrae pulchre intueri licet. Attamen et laetitia vestra gaudendi facultatem habemus, cum vos in Domino praecellitis. Attamen, quod melius est videmus in spiritu, cum Assur et ʿElam in unum coetum corpore sicut uno spiritu in vitam mysticam iunguntur.

Manibus ergo *et linguis nostris dilectum animae nostrae vobis *p. 107.
concedimus, dum Domino nostro et verbo eius gratiae hunc fratrem pro vobis consecratum committimus, ut in concordia spiritali accipiatis virum spiritalem, cuius in nomine scilicet pictus est maternus honos, quem paullo altius prophetae nutu evexit. Alter quidem e filiis patres ecclesiae matri universali suscitaturum esse promisit. Alter autem dominum matris suae fore in appellatione prophetica figurat[1]. Sed quid nostra interest nominum typos inquirere, et *nomini* Maremmeh appellationem allegoricam tribuere, cum ipse elementa ecclesiastica et prima principia possideat e quibus corpus sacerdotale componitur; quod probatio vobis demonstrabit quando Domino placebit.

Novistis enim, fratres amici, quattuor virtutibus tanquam quattuor principiis prioribus corpus sacerdotale funditus componi, quae quidem nomine sunt : fides, mores, doctrina, mens. Virtualiter vero ista totam summam virtutum in se habent, et vitam spiritalem velut animam in corpus ecclesiasticum effundunt. Fides enim fundamentum est vitae spiritalis, qua deficiente, nec vivere nec spei promissionum caelestium participes esse possumus. Mores autem nutrimentum sunt spiritale quod in mente spiritali vitam fidei custodit; et quemadmodum nec sine nutrimento vivere nec sine

[1] Hic patriarchae Maremmeh nomini *alluditur*, quod «Dominus matris suae» significat.

vita nutriri possumus, sic quoque nec sine moribus fides nec sine fide mores vivificare possunt. Iterum vero prorsus necesse est viro fideli et mores spiritales possidenti ut os suum aperiendo verbum veritatis (*orthodoxiae*) emittat, quod e speculatione spiritali omnium librorum divinorum et e tota doctrina Sanctorum collegitur : colleget tunc in laqueo cogitationum suarum cunctas subtilitates haere-
*p. 108. sum, obstringetque sub *calcaneo linguae suae totam gloriationem impostorum, ut ei in omni tempore contingat quod scriptum est [1]: «Sit ei verbum sanum et irreprehensibile, quod nemo spernit, ut is qui ex adverso est, vereatur.» Iterum maxime decet perfectionem viri his in virtutibus perfecti principium magnum quod cetera omnes adornat, dico autem mentem humilem et verum amantem, quae ad normam typi divini totum ministerium operum eximiorum ordinat. Quis autem ignorat ordinationem omnium facultatum rationalium honorem sibi convenientem in mente suscipere? In mente autem dico : *quae* si rebus eximiis congruit, eas insigniores reddere potest; si vero minoribus adhaeret, honoris speciem comparare potest, et contemptibilitatem semper repellit cuius in locum bonum honoratissimum confert.

Haec igitur sunt pro ratione epistulae elementa corpus sacerdotale honorantia, in quibus tanquam in aequo temperamento, amici et fratres, pulchre perfectus est sacerdos quem acquisivistis. Possidete ergo et retinete diligiteque donum divinum cum laude ei congruente. Benedicite dispensatori huius doni, tanquam praefecto magno magnae domus Dei, qui vobis misit e Seraphim carnalibus qui sunt intra Sanctum Sanctorum, ministrum diligentem caritate aequiparandum. Cum digni sitis qui virtutes eius probaretis, vobis parvi aestimabuntur quae in epistula cum spe scilicet demonstrationis indicare volui. Nec enim epistula, nec sermo, nec quaevis alia persuasio huius modi flatui soli excellentiae eius pares sunt, quando alacritati vestrae probationem eius offerre Domino placebit.

Pulchra igitur res esset, amici et fratres, pulchra res, ut quando in spiritu fidei vestrae communione tali fruiti eritis, mysterium tale
*p. 109. *acceperitis, gratiarum actionem auxiliatori omnium in intellegentia mentis vestrae offeratis, et principem sanctitatis, qui «de spiritu super eum *requiescente* abstulit», ut scriptum est [2], vobisque praefectum spiritalem perfecit, unxit et misit, in commemo-

[1] Tit., II, 8. — [2] *Num.*, XI, 25.

ratione precum benedicentes suscipiatis; ut etiam me delibem ponatis in infima parte eorum qui a vobis in oratione communi bene commemorantur, ita ut forte misericordiam *coram* Deo inveniam et salute in gratia dignus sim.

Caritati vestrae placeat, quaeso, ut non multo post expletionem spei vestrae, et postquam donum hoc a dextra misericordiae divinae vobis datum susceperitis et eo fruiti eritis, ad debilitatem meam scribatis quod caritatem spiritalem decet; quo cognito, gaudebo et Deo gratias agam. — Explicit.

II. — Ab Išōʿyahb, fratri meo Maremmeh : pax Domini nostri.

Olim cum ex multis dubiis *anxius essem* tui causa *de his* quae acciderunt imo ministrata sunt *divina providentia* apud lenitatem tuam in via asperrima quam tibi gratia Dei praeparaverat, brevi tempore postea nuncium praestantius desiderio meo et cuncta spe orationis debilitati meae impertita est virtus auxilii Domini nostri. Scripsit enim mihi primum populus Deum amans, cuius ad ministerium vocatus es, et dein tu quoque; et quae scripta erant corroboraverunt epistularum latores multique illinc venientes, qui sensum auxilii divini electionem tuam comitantis oculis suis viderunt manibusque suis tetigerunt. Et quidem impletus, ut decet, gaudio propter impletam spem orationis meae, gratias egi benignitati Dei qui, in omni generatione, ecclesiae suae sanctae veritatem promissionis suae ei factae custodit in reliquo eorum qui seipsos purificare curant. Mecum vero consociavi in tali laetitia *multitudinem *p. 110. timentium Deum qui hic sunt.

Cum mihi non accederit, ut ita dicam, qui epistulam ferat, et ille qui tuam mihi asportavit ad me non accesserit in adventu suo, exspectavi usque adhuc. Nunc, cum apud nos venerit Deum amans Mar Šubḥa fidelis, et certiorem me fecerit de tota gloria[1] auxilii Domini nostri erga pietatem tuam et de modo quo te ducat providentia benignitatis Dei hoc in tempore aegritudinis mundi, dixit te, quod ardens sane esset ira magna tua contra me, impeditum esse quominus mihi scriberes. Attamen qui irascuntur et effervescunt, nimium et scribunt, nimium et inculpant. Sed forsan hactenus tantum te duxit ira tua, ut a scribendo supersederes, et te hoc

[1] Nomini Šubḥa alluditur quod «gloria» explicatur.

modo nec effervescentem nec scribentem liquit. Ego vero, cum iratus fui, scripsi, et praesertim scribo : cum ita misericordiae Domini nostri boni placuit, ut ab eo visitareris pro ratione fidei tuae erga eum, curam habe de tuo nomine, hoc enim permanebit tibi[1]; quidquid faciendi facultatem habebis, fac; ministerium tuum sedulo perfice; virtutum gloria thesaurum tuum imple; bona tua in populum et in populos copiose effunde pro vi auxilii Domini nostri. Apud me etiam citius spem orationis mitte, non de more, sed te multum contristato. Infirma enim sunt negotia fraternitatis quae mecum est; paternitas etiam ad pusillanimitatem se demisit, et scissionem familiarem efficere potuit Satanas inter eos qui nomine dicuntur directores ecclesiae Dei. Omnes enim iustificati sunt, sapienter se gesserunt et in caritate spiritali perfecti sunt. Hac perfectione carui ego solus. Si Deus non miserebitur, negotia communia periclitabunt non in eo solum quod iam existimantur, sed etiam in ipsa vita fidei. Necesse quidem est, cum a malo ince-
*p. 111. perit *qui incipit, illum in malo completo etiam finire. Ora ergo, frater, ut commotionem, quae dure coepit, sedeat nutus divinus sine detrimento et sine perturbatione ecclesiae Dei, nobisque fiat per gratiam misericordiae Domini nostri, ut alter alteri occuramus in pace mundi et in salute ecclesiae sanctae. Rursum, ora quoque pro me ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

III. — Išō'yahb debilis, qui gratia Dei ecclesiam metropolitam Adiabenes gubernat, ad amantes Deum fratres monachos in dioecesi nostra degentes, qui spiritu humili sacrificium vitae spiritalis Deo omnipotenti offerunt : *in* Domino *nostro* Iesu Christo, pax crescat vobis!

Misericordia Dei, viri fratres mei, quae nos omnes sub umbra alarum suarum tegit, multa mansuetudine et longanimitate duritiem debilitatis nostrae in omnibus generationibus suffert. Superbimus enim et spernimus, sed non perimus. Erramus evagatione cogitationum vanarum, sed non destruimur. Indulgemus omni libidini pravae contra Dominum nostrum in vicissitudinibus noxiis et ira dignis, sed oceanus misericordiae nos non expellit, ne pro-

[1] Cf. *Eccli.*, xli, 15.

bationum ictibus, qui fructus facinorum nostrorum decent, pereamus. Suscepimus enim, viri fratres mei, habitum familiaritatis Domini nostri cum spe virtutis, ut novistis, unusquisque nostrum pro facultate sua; libertatem autem nostram in sua puritate non custodivimus secundum formas exactas, quas patres nostri laboribus sollicitudinis suae fixerunt, ut filii spiritales rationis *vitae *p. 112. post resurrectionem futurae heredes fiant. Illi enim, cum perfectionis cupidine tanquam igne, amore Christi naturam suam inflamavissent, omnem motum libidinis corporalis cum impetibus mentalibus e natura sua excusserunt, et se ipsos vasa pura finxerunt utilia Domino eorum et ad omne opus bonum parata, ut scriptum est[1]. Excellentiam eorum testatus est Deus signis, prodigiis et miraculis variis. Exemplum fortitudinis suae in mundo reliquerunt in omni perfectione eximia : in habitu quidem, et eo modestissimo; in habitatione quidem, et ea castissima; in ieiunio quidem, et eo strictissimo; in abstinentia quidem, et ea asperrima; in vigilia quidem, et ea intentissima; in ministerio quidem, et eo prolatissimo; in lectione quidem, et ea studiosissima; in oratione quidem, et ea cum omnibus laboribus iuncta; in benegnitate quidem erga peregrinos, et ea promptissima; in caritate quidem erga fratres, et ea pulchre perfecta; in quietis studio quidem, et eo pulchre laudabili; in obedientia quidem, quae virtutum ipsa mater est; in omni quidem certamine spiritali, cuius laus ab omnibus hominibus praedicatur, adeo ut multi iam ad id currant, alii quidem propter virtutem ipsam, alii autem pro natura sua.

Quamvis omnia ista sub finem mundi nobis contigerit intueri, o viri fratres, attamen omni modo videmus parvum reliquum eorum qui ea efficiebant. Vidistis enim quoque vos omnes vel quidam e vobis eos qui nobis totam hanc virtutem tradidere. Quomodo ergo eorum obliti estis? Aut quomodo eos non imitamini? Aut cur vias eorum in caritate non custodivistis? Aut quare perturbati et in omnes ventos divisi estis? Aut cuiusne ergo discipuli estis, fratres? Aut quis est caput vestrum, si membra estis? Aut quaenam sunt membra vestra, si vos omnes capita estis? Aut quis est *vobis sum- *p. 113. mum exemplum virtutis, cum nemini adhaereatis ad discendum? Aut ex qua obedientia praeceptorum poteritis fructus vivificantes decerpere, cum vos omnes voluntate cordis vestri ducimini?

[1] II Tim., ii, 21.

Neglego nunc illos quorum iustitia habitum antecessit, qui a mulieribus vilibus «Rabbani[1]» subito vocati sunt, et colloquiis pravis in errorem vanitatis delapsi sunt. Sunt pro mundo scandalum, pro debilibus offendiculum et pro Deum amantibus dolor crucians. Ecce hodie in quoque loco multiplicati sunt monachi diversi cum moribus variis, apud urbes, apud pagos, prope campos, circa monasteria, qui sine capitibus (ἀκέφαλοι) et sub nullo capite sunt : neque monachi propter mores, neque laici propter habitum. A consortio habitationis et conversatione cum fratribus discesserunt praetextu studii quietis : molestiam autem noxiam laicorum mulierumque facile subeunt, prudentiae expertes. Res eorum sane est.

Quod vero communitatem laedit et tanquam morbus malus multos superat, est luxus monachorum adversus directores morum, scilicet adversus Dominum nostrum Christum, ut scriptum est; quod etiam alicubi dictum est : «malae bestiae, ventres pigri[2]», ego quidem, verbis mutatis, dico : «ventres mali, manus pigrae». Ex istis oriuntur mutatio coenobiorum et migratio e loco in locum, circuitus inter domos, rogationes pravae, prostrationes coram divitibus, ademptiones violentae necessitatum turpium. Ex istis omnia mala insidiose intuentur : primo contemptus et opprobrium; deinde pigritia et appetitus ventris; postea odium, invidia, pro-
*p. 114. positum pravum, calumnia, murmuratio et defectus *caritatis qui est summum malum.

Necesse ergo est, viri fratres, nos mentem nostram e somno excitare ad eam intellegentiam quae sufficiat ad inveniendum quod perdidimus. Inveniemus autem, si paullum capti cupidine iudicii, animum nostrum movebimus. Movebimus autem hoc modo : si ferimus corda nostra super manus nostras apud Deum in caelum; si abscindimus a nobis ipsis consuetudines pravas, quae radices amaritudinum sunt; si in humilitate animi castigationem patrum accipimus; si amore vitae salutisque animae, in conscientia bona suasoribus bonis obedimus. Quis enim nescit ex inobedientia ortum esse pro hominibus totum malum peccatorum, corruptionem mortis et gehennam aeternam?

Igitur et vos inobedientiam odisse oportet, et nos vobis suadere oportet ut verbis Dei obediatis. Ministri enim sumus verbi vitae

[1] Epitheton monachis datum. *Hic ad sectatores Messalianorum alludit auctor.* — [2] Tit., I, 12.

et vindicatores legales mandatorum vivificantium Domini nostri in magna domo Dei, quae est ecclesia sancta. Praefecti domus seu curatores, aut quidquid dicere velit alius, sumus. Vestrum, tanquam vasorum pretiosorum huius domus curam eximiam agere debemus, ita ut gazophylacium Domini in gloria ei congruenti permaneat.

Extendite nunc visum intellectus vestri, o viri Deum amantes, scitote et intellegite unde vobis ortum sit initium imminutionis: ex inobedientia, res est manifesta. Ab ea quidem mors ipsa coepit. Ab ea in dispersiones multiformes effusi estis et in pigritiam quae omnium malorum mater est. Revertite ergo ubi eratis, id est, ad obediendum iussis Dei, quae patres spiritales in libris nobis reliquere. Antea tamen congregamini e dispersione *praesenti. Rever- *p. 115.
tat unusquisque ad coenobium suum ubi edoctus fuit, apud eos quorum consortio fruendi desiderio olim flagrabat. Si nonnulli, sua sponte et nemine interveniente, habitum mutaverint et iusti subito visi sint[1], abhinc monasterium sibi placens eligant et in servitute obedientiae sint sub directores legales, quibus delectu communitatis officium huius modi creditum erit.

Ii directores secundum leges paternas communitatem gubernare debent, debilitatem tolerantes, duritiem habitudinum sufferentes, longanimitate prudenti unumquemque reducentes ad laborem vitae spiritalis, et in omnibus exemplum pulchrum in seipsis praebentes, in cunctis operibus bonis et in doctrina, sicut scriptum est[2].

Fratres vero erga directores in humilitate prudenti et erga alios alii in caritate perfecta sint. Hoc modo qui ab edoctis vitam asceticam scriptus est[3], sit conversatio eorum in omnibus ordinibus, communiter et singulatim, in labore et in quiete, in prandio et in ieiunio, in privatis et in usibus communibus. Nemo sponte sua se ducat et inventis animi sui obsequatur; error enim est cuncta via a patribus non trita; nec quis speciem cuiuscunque operis a veteribus patrati aemuletur et apprehendat media in communitate; id enim est zelus stultus et gloriatio vana, cuius damnum maius est quam commodum. Sed in communitate colantur regulae ordinatae, quas summo iudicio patres nostri colligerunt et in correctionem nostrum omnium instituerunt munere auxilii Domini nostri. Si quis

[1] Id est, Messalianorum sectatores fuerint. — [2] Tit., ii, 7. — [3] De priscis regulis monasticis agitur.

autem intra fores cellae suae labores distinctos addere vult, modo eius opera ab oculis et auribus ceterorum abscondantur addat quan-
*p. 116. tum sua facultas facere sinit, * sed tantum cum discretione, sicut patres nostri mandaverunt. Quae autem in communitate et cum communitate fiunt, nullo modo imminuat aut augeat, quia, si imminuerit, communitatem damno afficiet; si auxerit, se ipsum laedet. Sed in communitate agendi ratio una et eadem unicuique sit; privatim autem secundum uniuscuiusque facultatem et voluntariam dispositionem : attamen cum dissimulatione distinctionis secundum praeceptum Domini nostri, ita ut virtutes vestrae omnino per omnes distinctiones crescant, et anima afflictorum per vos consoletur, et aegroti viribus valeant, et ecclesia Domini nostri per vos exultet, et haeretici ope vestra ad lucem scientiae divinae convertantur et per vos gloriatio contingat communitatis sacerdotibus et populo Domini, in cunctis temporibus, amen!

Abhinc et posterius iussu Domini nostri inter vos quiescant omne probrum et ignominia propter mendicationem, nomen iniuriosum, artem pravam et laqueum satanicum quem patres sancti et libri Spiritus reprobarunt: primo quidem divinus David, dum ait[1]: «Labores manuum tuarum cum manducabis, homo, beatus es et bene tibi erit»; post eum Paulus mirabilis doctor universi, dum ait[2] et vehementer decernit : «Ille qui non vult operari, neque manducet»; iterum, dum suadet argumento a se ipso sumpto, dicit[3] : «Laborabamus et defatigabamur opere manuum nostrarum noctu ac diu, ne quem vestrum gravaremus»; iterum in humilitate dicit Apostolus[4] : «Quoniam ad ea quae mihi opus erant et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae»; iterum velut archetypus virtutum ait[5] : «Ut in nobis formam daremus vobis ad imitandum nos». Brevius est mihi tempus quam in epistula omnia hac de re dicta figam. Ceterum vobis liber Apostoli prope est, si legere vultis. In
*p. 117. eo vituperationem vehementem invenietis * adversus eos qui cum non laborant victum sumunt.

Cognoscite ergo, beati, etiam quae de hoc vicissim dicta sunt ab omnibus patribus sanctis, quorum in viam vitae vobis curae est incedere. Alius enim dicit : «Sufficiant ori tuo manus tuae.» Alius vero dicit : «Manus quae non operantur, pro eo cui inhaerent onus

[1] *Ps.* cxxvii, 2. — [2] II *Thess.*, iii, 10. — [3] I *Thess.*, ii, 9. — [4] *Act. Apost.*, xx, 34. — [5] II *Thess.*, iii, 9.

sunt.» Alius fratrem qui super mensam ridebat reprehendens, dixit: «Flere tibi decebat, frater, qui eleemosynam comedis.» Alius docens dicit : «Labora labore manuum tuarum ut pauper panem tuum inveniat.» Alius, cum interrogaretur quid sit vita monastica, definitione respondens dixit : «Vita monastica est labor manuum et preces.» Ille, *maximus* et praestantissimus inter omnes, cum ei in deserto animi deiectio contigisset, Deum precatus est ut ei ostenderet quid facere deceret. Tunc ei apparuit angelus in eius forma, sedens et laborans, surgens et orans, iterum sedens et laborans, iterum surgens et orans; et venit ad eum vox e caelo quae dicebat: «Sic age et vives.»

Haec sane verbo dicta sunt; eiusdem modi sint quae opere ipso ab omnibus perpetrata sunt? Sumite et legite sedulo, et scire poteritis. Quisnam ergo tam stultus et ignarus est, ut putet in alia via vitam veram se inventurum esse? Si autem Paulus apostolus doctorque universi et omnes qui vestigia eius secuti sunt hanc formam nobis tradiderunt, quis ergo est homo miser, qui se putat vivere, cum e mendicatione et petitione prava eleemosynas pro vita sua a quocunque colligit? Quod quidem quis, in coenobio suo quietus et operi spiritali constanter vacans, *e manibus fidelium *p. 118.
donum voluntarium accipiat, quod Deus *sollicitudine offerentium* oblationes mittit, res est a vituperatione libera et participatio laudabilis. Quamvis illi qui in scientia perfecti sunt, id etiam recusare studeant, finem tamen utilem habet nec reiiciendum est. Quod autem quis res sibi necessarias collecturus ad fores divitum egrediatur et eleemosymas probrosas cum impudentia audaci roget, res est reprobanda, turpis despectaque et a libris spiritalibus, et a patribus sanctis et a mente donatorum, et a pudore accipientium.

Itaque, homines debiles, a turpitudine ista noxia fugite. Comedite laborem manuum vestrarum, ut beatitudinem a propheta praedictam[1] mereamini; legem Apostoli custodiatis[2], et benedictionem patrum hereditate accipiatis. Hic labor sit aliquid quod loco et tempori congruat, et a vita et habitu *monastico* non alienum, et exigentiis magnis non obstrictum, quod dum placide efficitur, alimentum necessarium fratri afferre possit. Doni autem in communitate adhibiti participes sint omnes et unusquisque pro necessi-

[1] Cf. supra, p. 88, loc. laud., Ps. cxxvii, 2. — [2] Cf. supra, p. 88, locos Pauli allatos.

tate sua, id est quantum sufficit ad vescendum, ut scriptum est[1]. Si quidam debiliores sunt quam ut laborent, et se nutrire non possunt, cibus eorum e dono communitatis impleatur. Si donum communitatis necessitati et usui communitatis non sufficit, praefectus domus ad episcopum accedat et eum certiorem faciat. Episcopus illi epistulam commendationis ad fideles fidos *scriptam* dabit, ut isti defectum necessitatis eius sine scandalo et ignominia impleant.

Unusquisque placide sedeat et libertatem suam pure custodiat. Honorate habitum vestrum, ut iussum est. Ne sit confusa conversatio morum vestrorum. Ne vos colloquiis et nugis laicorum immisceatis. A vobis licentiam et sermones otiosos abrumpite. Nemini *p. 119. unquam *subiecti sitis, ne quis unquam vos subigat. Intellegite quod dico, quia multa sunt Satanae vincula, quibus ligantur animae imprudentes. Cavete ergo ab omnibus malis tanquam operarii spiritales. Perseverate eximie in virtutibus vestris, ut in vobis perseveret Deus. Ne autem inimico unum etiam locum iniuriae detis, ut qui in nos surget confundatur, cum nihil probrosum contra nos dicere poterit. Luxus quoque, qui usque adhuc *manet*, abhinc cesset, Deo iuvante. Nemo nunc et deinceps facultatem habeat e coenobio in coenobium migrandi sine permissu directoris commendationeque scripta. Sed, si cuidam acciderit dolor corporalis aut perturbatio mentalis, et is ad migrationem cogatur propter spem sanationis, ad directorem accedat, eumque de afflictione sua certiorem faciat; si res urget et mutatio commoda videtur, director illi epistulam commendationis dabit ad locum quem elegerit, abibitque cum precibus communitatis in spe commodi *inveniendi*. Aliter autem et iuxta usum praesentem, nemo facultatem habeat migrandi. Si quis migraverit, directores coenobiorum monasteriorumque eum recipere non debebunt sine epistula commendationis. Ab hoc enim tanquam a radice mala monachis contigerunt mores perturbati vitaque agitata. Incrementum obsoniorum probrosorum effecit ut coenobium altero ditius sit, et directores stulti ditescere voluerunt numero fratrum, neque meminerunt huius verbi[2]: « Melior enim est unus voluntatem *Dei* faciens quam mille. »

Desistite igitur, fratres mei, a motionibus perturbatis et a migrationibus noxiis. Sedete placide in monasteriis vestris. Colite ser-

[1] *Ex.*, xvi, 16. — [2] *Eccli.*, xvi, 3.

vitium Domini in forma institutionum quas fixerunt patres nostri, *quarum paucas e *multis* in epistula vobis indicavi. Paratus sum *p. 120. etiam, quando placebit Domino, de eis sermonem perfectum vobis praebere, si vobis opus est audire. Det autem Dominus noster in *misericordia* sua ut studium operum vestrorum cunctum laborem amatorum superet. Nemo sit inter vos, cui reprehensione opus sit. Utinam nosmet humiliemus, cum humilitati obedientiae vestrae occurremus. Hoc enim laetitiam nostram explebit et peractio orationis nostrae erit, quia columina fida et adiutores spiritales in *gazophylacio Domini habebimus.* Vos enim laetitia nostra et gloriatio nostra et corona capitis nostri estis, si in Domino nostro pulchre stabilimini. Sitis itaque quales vos esse speramus, o Deum amantes, ut per vos gloriatio nostra in Domino nostro Iesu Christo crescat coram omnibus populis et intra ecclesiam sanctam Dei nostri boni; ipse gratia sua debilitatem nostram corroboret ad faciendam *voluntatem suam in omni tempore et omnibus diebus* vitae nostrae, amen! — Explicit.

IV. — Išōʿyahb debilis, qui gratia Dei ecclesiam metropolitam Adiabenes gubernat, Deum amanti Tĕrīṣīšōʿ, chorepiscopo : in Domino nostro salutem.

Quod domus magna sit quam Deus praeparavit, frater noster, iam legisti et novisti; quod gratissimus et honoratissimus coram Deo intra ecclesiam eius sanctam sit ordo castus monachorum, res est manifesta et tibi et multitudini peritorum; quod vero de illis tanquam de vasibus puris ministerio Dei aptis magnam curam nos habere debeamus, nos quibus gratia Dei ministerium ecclesiae eius sanctae creditum est, res est quoque *recondita nec tibi nec illis *p. 121. qui intellegentiam possident. Itaque nunc, quantum possumus, coram quocumque et prae quocunque de iis nos sollicitos esse oportet. Scimus enim, cum illi qui loco speculi id est forma exacta vitae christianae sunt, virtutibus voluntati Dei placentibus mundantur et pulchre splendent, totum corpus ecclesiasticum in lucem Evangelii incedere, sacerdotes exultare, populum excellere, haeretici se convertere, paganos edoceri, et gloriam Dei per confessionem multorum magnopere insigniri.

Velis nunc fratribus monachis in regione tua degentibus vel etiam eis qui sunt vicini, epistulam canonicam tradere, quam eis

scripsi[1]. Hortare eos ut ipsam intellegenter legant et totas regulas utiles pro eis scriptas sedulo custodiant. Si quis eorum contemnat, scilicet non obediens eis quae ibi scripta sunt, e dicione potestatis tuae alienum redde eum verbo sacerdotali[2]. Si nonnulli tibi obsistant ita ut necesse sit me certiorem fieri, de illis certiorem fac me. Deus te ab omni malo custodiat. Vale. — Explicit.

V. — Casto et Deum amanti, fratri nostro honorato Iacobo episcopo, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Quidam e sanctis *monachis* in tempore nostro, cum saepius iustitia propria repleantur, saepius in aberrationem insipientiae labuntur et specie humilitatis et timoris Dei, ut dictum est[3], supra ordinem et vitam ecclesiasticam se efferunt. Mores alienos sibi instituunt, quos nec patres sancti nobis tradiderunt nec *conscientia peritorum probat.

*p. 123.

Primum quidem, dum multum se humiliant, ab inobedientia incipiunt, quam ut agant administratio illis adiuvans suadet. Deinde autem, dum aliquantum humilitati suae addunt, ad contumaciam et audaciam delabuntur. Quando etiam evenit ut potestas ecclesiastica vim actionis suae adversus eos moveat, ad eos omni modo in commodum vitae suae reducendos, tunc, ne christianos quidem esse apparent huius modi humiles, dum etiam vincula sacerdotalia (*anathemata*) abrumpunt, et quasi rebelles et bruti ad locos migrant quos procul a Deo esse putant. Et etiam itaque cogunt nos, quibus a gratia divina omnes ordines dicionis Domini nostri commendati sunt, tanquam homines debiles post eos in omnes ventos currere, magnam varietatem morum eorum varietate scientiae corrigere et dirigere[4], atque convertere. Nobis curae praesertim debet esse ut illos a spe sua vana avertamus, qui, loco mutato, potestatem ecclesiae Domini nostri irritam fieri putant.

Duo enim ex eorum nobilioribus, quos ego, opinioni quorumdam de eis obsequens, iussi, aut suasi, aut hortatus sum, aut admonui, aut rogavi, aut sollicitavi, ut in ministerio Domini, nomine directionis locorum insignium, versentur, *nos* deceperunt, ut opinantur : efferati sunt, contra stimulos sacerdotales calcitrarunt et procul

[1] De praecedenti epistula agitur. — [2] Id est : excommunicatione. — [3] *Coloss.*, II, 23. — [4] Sic consonantiam verborum [illegible] et [illegible] imitamur.

migrarunt. Cum apud te Deum vim sacerdotii sui minus curare putarent, habitaverunt, ut aiunt, in locis dicioni tuae subiectis: ostendat ergo sollicitudo tua illis, qui ita sunt, ubique Deum esse, et fugitivos eius capi non solum a servis Dei in quovis loco, *sed *p. 123. etiam a mari et cetibus in eo degentibus[1]. Itaque, cum a latore epistulae nomina eorum qui ita sunt audiverit Sanctitas tua, arceat eos vi sacerdotali ab omnibus regionibus potestati administrationis tuae subditis, simul vero et a participatione mysteriorum divinorum in quovis loco; ita ut, cum iis contrarium opinionis suae acciderit, ad Dominum se convertant, sui memores fiant, a rete Satanae, in quo voluntate eius capti sunt, effugiant sciantque unum esse Dominum, unam esse ecclesiam eius sanctam, et unam esse providentiam eius super omnia, per omnia et in nobis omnibus. Quando e vinculis necessitatis ad gratiam et intellegentiam transgressioni eorum congruentem pervenerint, cum sinceram conversionem eorum viderim, eos praeveniam in condonatione proficua iuxta sensum doctrinae Domini nostri, adeo ut unicuique nostrum pro ordine suo per mercaturam spiritalem exactio commodi sui inveniatur. Auxilium Domini nos omnes ad id quod voluntati eius placeat ducat in omni tempore. Vale et ora pro me. — Explicit.

VI. — Amantibus Deum fratribus meis caris, cleris castis, et fidelibus notabilibus, in ecclesia sancta *urbis* Maḥōzê-d'Arêwân, Išō'yahb, frater vester: in Domino nostro salutem.

Errorem venia dignum admisimus, fratres cari, ego et vos. Et cum nunc error ille sponte patefactus est, quem ego dudum animadverti et obtegere cogitaveram, tumultuoseque calcitravit et, involucro confusionis suae abiecto, impudenter in publicum prodiit, ideo coactus sum nunc ego ipse vos convenire ut communi concilio disceptemus *quid requiratur et demus emendationem *p. 124. utilem occurenti damno. Erravimus enim quia hominem stolidum, qui in sententia minime constans multas conversiones passus erat, ob parvam probitatis speciem et ob famam ad praefecturae fastigium proveximus, cum non praesentiremus eius ab orthodoxa fide defectionem, quae paullo ante in secreto conclavi contigit, quando pravo praefecturae ambitu ad deturpandam veritatis

[1] Alludit ad historiam Ionae prophetae.

confessionem suis commentationibus insipientibus abreptus est. Sapientissimus autem in hoc tantum fuit, quod librum illum stultum de conversione opinionis suae secreto celavit, usque dum praefecturam vestram rapuerit ope derelectionis dolore dignae.

Sed veniam meremur, ut dixi; quia errore decepti sumus; quia non vetus erat morbus conversionis viri et quia subito *ea* contigit atque in conclavi secreto effecta est; et quia nos nullo quidem modo defectionem eius perversam senseramus; et quia etiam iste astucia mala fidem suam pravam coram illis solum patefecit, qui praemium pro hac re ei tribuere poterant, quod possidendi desiderio flagrabat, id est episcopatum Adiabenes.

Cum in hoc negotio fefelisset, spe sua non prospere cedenti, fortuna mala eum in urbem fidei orthodoxae deiecit, id est apud vos, qui certaminibus usque ad sanguinem *prolatis* semina Satanae impia inter vos per longos annos purgavistis. Et purgavistis habitationem incolatus vestri et fidelem ecclesiam vestram a tota haeresi perversa et multiformi eorum qui unitatem hypostasis, id est unitatem naturae profitentes, confessionem fidei nostrae stupro blasphemiarum suarum corrumpunt.

Ecce hodie gratia Dei estis unum corpus orthodoxorum, quod
* p. 125. gloriose fulget * radiis lucis vivificantis, unius *προσώπου* adorandi et gloriosi Domini nostri Iesu Christi, qui est Deus super omnia[1], qui *ὁμολογίαν* cum Patre suo in hypostasi perfecta, et *ὁμολογιάν* quoque nobiscum in eadem ratione perfecta hypostasis possidet et *ἕνωσιν ἀποδείξεως* (unitatem manifestationis) potestatis in *προσώπῳ* glorioso duplicis formae perfecto ostendit; ut dum corpus humanum radiis divinitatis fulget, oculis quidem homo, menti autem Deus omnipotens appareat, et in unitate figurae divinae unusquisque Deum agnoscat omne genu flectatur, omnis lingua eum confiteatur[2]. Et ne iam doceat unusquisque concivem suum, aut fratrem suum, et dicat: Cognosce Dominum, quoniam nos omnes eum sciemus et adorabimus[3]. Huius modi sunt in paucis verbis nomen et virtus et sensus unitatis Domini nostri.

Haeretici vero antiqui inopia mentis suae, hoc est impudentia sua, ab hoc mysterio se avertentes, multa contraria et insulsa adversus verbum veritatis scripserunt, in mente sua desipuerunt et a vita Dei se alienos reddiderunt. Verbum autem divinum media in ec-

[1] Cf. *Rom.*, IX, 5. — [2] Cf. *Rom.*, XIV, 11. — [3] Cf. *Hebr.*, VIII, 11.

clesia sancta ore ministrorum eius in omni generatione audaces rebelles exclusit a partitione hereditatis Domini, in libro et sine libro, usque ad hoc tempus incolatus nostri, quod est *tempus* senectutis mundi. Ego existimabam, fratres mei dilecti, nunc cum vetus et decrepitus et detritus sit mundus et iam lapsus sit, id est periit etiam mens humana, adeo ut inventor malus, hoc est stultus hospes cogitationum vanarum non esse possit, scandala huius modi etiam necessario cessatura paullumque a molestia offensionum eorum nos quieturos esse, nos omnes quibus sub alis fidei orthodoxae contigit sors hereditatis *in domo sancta Dei. Sed mentis inopis error, qui *p. 126. ex intellectu ipso stulto, vetere, detrito et agitato hoc tempore ortus est per hominem rationis expertem, quem casus temporarius ad urbem incolatus vestri nomine praefecturae adduxit, cogit pacem nostram perturbari, nosque scandalo insulso fidem necessario tribuere.

Istud enim haeresum genus malo etiam nomine famam saeculi sane acquirere amat. Idcirco nunc quoque vir ille stolidus ad stultitiam reprobandam lapsus est, et librum insanum nomine commentorum fidei, nemine hortante et nulla necessitate urgente, conscripsit, quem me et mei similes celavit usque dum fiduciam illam *cepisset,* de qua prius locutus sum. Parum diu autem postquam ministerium praefecturae vestrae susceperat, cum ad urbem incolatus vestri nos omnes a principibus temporalibus iussos occasio adduxisset, ego recentis famae paullum recordatus, illum rogavi numquid scripsisset, sicut ipse audieram. Cum se scripsisse confessus esset, eum rogavi cur me istud celavisset tempore quo prope eum aderam, et cum hac de re miseram excusationem protulisset, ursi eum ut quae scripserat mihi proferret. Cumque attulisset, eaque prava deprehendissem, illum acriter increpui, domo tamen et secreto. Et ille, velut acri ea reprehensione permotus, spopondit se quae male scripserat correcturum. Mentienti equidem fidem adhibui, arbitratus hominem recens deceptum fuisse credidique illum non ex mentis pravitate, sed ex pravo ambitu fidem suam corrupisse. Tempus itaque in correctionem constitui diuturnius quam ipsa operis necessitas postularet; atque inde discessi, eius errorem silentio tegens. Ille vero non modo promisso non stetit, sed etiam ad fautores suos profectus est, *qui ei animum fecerunt, atque inci- *p. 127. tatus est ut, auxilio eorum quos potentes existimabat, commenta sua confirmaret. Eius itaque fraudem, qua veritatem prodiderat,

assecutus, adhortationem precesque fraternas in caritate conceptas ad eum scripsi; et duos fratres caros[1], quibus occultum eius flagitium exposueram, communis mihi et illi disciplinae optimae alumnos, ad eum statim misi, eisque praecepi ne cui vestrum negotium illud patefacerent, ne mali occasionem praeberem quaerenti *mali occasionem*. At ille, cum ea quae ipsi scripseram legisset, et quae ab illis fratibus Deum amantibus dicta sunt audivisset, tum vero fallax obsequium simulavit, prolatoque commentationis codice, sexdecim capitula ab eo expunxit coram eisdem fratribus eorumque hortatu[2], et eos in pace dimisit cum epistula gratiarum actionis ad me scripta. Cum ergo fratres illi Deum amantes rediissent, et fatui illius viri obedentiam mihi nuntiavissent, gavisus sum et Domino nostro gratias egi, ut qui miserum famulum suum a bona spe fidei orthodoxae minime excidere permisisset.

Cogitans autem vir ille insanus me redarguere quod de ipso frustra erraveram, atque omnibus palam facere se voluntatis Satanae ministrum esse, e vestigio post fratrum illorum Deum amantium discessum, meam ad ipsum epistulam ad venerabilem praesidem studiose pertulit; ut qui eius praesidio *confisus*, in eam insanae mentis perversitatem prolabi ausus erat. Idque dolo malo et satanica nequitia machinatus est, ut nimirum praesidis inimicitiam adversus me suscitaret et bellum adversus me accenderet. Ea nempe exstitit causa, sicut pridem audivistis, excitatae adversus me seditionis, ex qua omnia ea mala profluxerunt quae universum perturbarunt. Haec itaque fecit *operatione Satanae vir ille insanus, *p. 128.
et se perversitatis causam reddidit omnibus illis qui tentare et scire cupiebant num fidei amor filiis ecclesiae, scilicet antistibus veritatis insit. Si sane, zelo amoris veritatis in vobis, immo in tota ecclesia Dei commoto, virum illum stultum reprobatis et procul abiicitis, cavebunt ii desistentque negotio tali interesse. Sed si vos, id est tota ecclesia Dei, de viro illo stolido siletis, eumque honore directionis fruentem relinquitis, ut pote qui nullo modo peccaverit, tum corroborabuntur ii animumque adhibebunt ut in sua opositione ad maiora tentanda veniant. Sic, ut nunc fit, explebitur quod dictum est[3]: «Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?»

[1] Hoc loco Assemani in *Bibl. orient.*, III, part. 1, p. 117, quem maxima e parte verbatim exscripsimus, animadvertit : «monachos coenobii Beit-'Abensis». — [2] De hac re confer : *S. Martyrii, qui et Sahdona, quae supersunt omnia*, ed. P. Bedjan, 1902, p. viii. — [3] Luc., xviii, 8.

Necesse igitur vobis est, fratres mei dilecti, quos institutione pulchra ab initio usque adhuc educavit Deus; qui spectaculo casto exemploque pulchro omnibus ubique fidelibus fuistis; qui firmitatem orthodoxae fidei intactam per multas generationes custodivistis, fama bona eximiae fidei vestrae in totam animam ecclesiae se diffundente ; et praesertim, quod ego quoque debilis vir testimonium 'virtutis vestrae ubique proclamavi, quodque condiscipulos meos et socios pulchrae meae sententiae unicuique vos ostendi, (necesse vobis est) revera robur fidei vestrae operum argumento patefacere, et nullo modo depravatae fidei ansam dare intra vos introducendae per insanum virum quem vobis adduxit sors temporaria.

Scitis enim, utpote veritatis periti, e minima stipula ignem accendi, et e prava introductione unitatis hypostasis Christi in multiformem blasphemiarum perversitatem adversus Deum eiusque oeconomiam *miseros homines prolapsos esse. Quod enim una hypostasis [*p. 129.] necessario unam naturam demonstret, hoc scitis vos omnes, utpote a Deo edocti, quanquam stolidus ille vir id irrationale esse contendit. Et quod hanc hypostasim nomine personae, seu personam nomine hypostasis intellegere debeamus, sicut ipse scriptor ille insipientiae demonstrare studet, id necessitas sensuum veterum nominibus subiectorum vetat, sicut et vos scitis et unusquisque pro certo habet, quanquam hic insanus vir sensibus huius modi careat. Et quod constitutio singularis et hypostasis unica e divinitate et humanitate oriri non possit, sicut scriptor ille stolidus scripsit, id ad omnes tanquam summa voce clamat ipsa rerum impossibilitas. Frustra igitur laborat stultus vir qui impetu insano limites impossibilitatis calcare conatur. Nisi tamen imperitissimus inter omnes erat, talem haeresim in libro deponere non ausus esset, sed in corde tenuisset, aut ad summum verbo tantum edidisset stultam sententiam haeresis huius modi, sicut alii quoque, simili aegritudine capti, mente tantum et verbo non autem usque ad scriptum rebellare ausi sunt.

Itaque igitur, fratres mei dilecti, quia apud vos haeresis satanica adversus fidem orthodoxam palam fieri coepit, vos magis quam alios decet et oportet ei fortiter insurgere, ut parvo flatu zeli vestri ignei fautorem belli cito e positione adversum veritatem exstirpetis, atque vobismet, re peracta, totum nomen bonum comparatum confirmetis, et mihi amico vestro, quin immo *toti ecclesiae Dei, glo- [*p. 130.]

riationem contra errorem plenitudinemque laetitiae animi et occasionem gratiarum Deo agendarum acquiratis.

En igitur gratia Dei habetis apud vos etiam librum inscriptum : «Cogitationum refutatio», qui multis abhinc annis adversus fatuam hanc opinionem, hortantibus omnibus Deum timentibus, compositus est, tum scilicet, cum haec haeresis opera nonnullorum in publicum prodire coepit; et haereticorum stultitiam controversia cogitationum logicarum satis redarguit. En iterum cum hac epistula vobis misi quoque exemplar epistulae correctionis quam direxi ad hunc insanum[1] cum de eo adhuc mihi bona erat spes : quam *epistulam* ille velut homo seditionis et rixarum avidus, suam patefacturus ignominiam, in insania mentis suae ad illum quem nostis perverso consilio detulit, ita ut tumultus praesentis adversus me simul etiam perturbationis totius ecclesiae Dei sit fautor. Hoc vero mirum est, quod, omnium rerum rectarum inscius, scientiam tamen sufficientem pro hoc negotio perturbationis ecclesiae Dei possideat.

Legite ergo etiam illud exemplar, ut cognoscatis quae sollicitudine mea erga eum acciderunt, eiusque pravam astuciam adversus veritatem. Quidquid timorem Dei et amorem veritatis in vobis spemque de vobis bonam totius ecclesiae Dei decet, curate faciendum, iuvante Deo. Ipse vero Deus misericors, qui potens est omnem gratiam abundantem facere in timentibus eum[2], vos perfectos in omni opere bono reddat, ut eius voluntatem omni tempore faciatis per cunctos dies vitae vestrae. amen! — EXPLICIT.

*p. 131.

VII. — *CASTO AMANTIQUE DEUM FRATRI NOSTRO DILECTO MAR SAHDA EPISCOPO. ISŌʿYAHB : IN DOMINO NOSTRO SALUTEM.

Nunquam cogitaverim fore, o frater, ut aliquando ante exitum huius vitae corporalis te in aliqua re reprehendere deberem. De rebus praesentibus etiam ad te scribere cogor; immo, si paullo ante aut a longinquo tempore in te signum pravae fidei subversionisque mentis vidissem nunquam in eo venissem ut cogitarem possibile quocunque modo te avertere ab huiusmodi mala pertinacia : pluries enim probavi plurimos huius generis homines in morbo praeiudicii iniqui permansisse usque ad mortem et in aeternum. Sed,

[1] Cf. epistulam sequentem. — [2] Cf. II *Cor.*, IX, 8.

ob antiquam meam opinionem de te bonam, cum nunc subito ea legi, quae a te de confessione fidei nostrae perverse scripta sunt in libello illo quem, nulla urgente causa, nulla necessitate, nulla suasione, nulla hominum exhortatione, conscribere tibi libitum est, quem etiam me ipsum olim celasti quando prope aderam, donec eum noctu coram aliquibus legisti, quibus cum placuisset, sic fisus es eum et aliis ostendere et mihi quoque proponere, ne ita quidem de istis quae a te vitiose scripta inveneram multum iratus fui. Sed quia adhuc de te bonam illam veterem opinionem teneo, putavi te illis quos talia delectant, placendi studiosum, prava cupidine in mentis mutationem versum fuisse et donum haereticae doctrinae maius quam alia opera tibi visum esse. *Hoc sane modo mutatus *p. 132. es scripsistique in amentia stultum libellum. Quamobrem sub spem correctionis errorem tuum posui.

Cum vero te iam redarguissem, ut decet, tibique multa commoda boni nominis suasus essem, mihi pulchram correctionem spopondisti, quod te non fugit. Tibi ergo ad rem definivi tempus etiam longius quam rei necessitas poscebat, ut tu ea quae conveniunt componeres, eaque ad me mitteres aut mihi asportares, et ègo negotii nuncium in silentio amico exspectarem, correctionem stultitiae tuae revera visurus, tempore definito hoc est, intra mensem integrum. Et ecce iam quattuor menses elapsi sunt : et non solum non operis tui correctio, sed ne verbum quidem quodvis aut epistula hac de re ad me pervenerunt. Et quidem rumores satanici iam advolarunt : timens vero ne post famas satanicas ipsa opera satanica in lucem Satanas suo more proferat, participes huius consilii adhibui fratrem nostrum Paulum directorem coenobii nostri et fratres illos quos ad te misi, ut ad te cum hac epistula mea secundum legem caritatis spiritalis eant, de modo facinoris tui cognoscant et ad me libellum illum flagitiosum afferant, si iste secundum promissionem tuam correctus est. Si autem ob consuetudines tuas mutatu difficiles non correctus est, tu autem, frater, si potes venire ad me, venias : res enim urget, et tecum asporta quod fecisti : si vero tu ipse venire non potes, ad me mitte librum tuum qualis est, ut noscam utrum a nobis an ab inimicis nostris sis. Quod si forsan dissidium cogitationum vanarum te invasisset putaverisque ea sustentanda esse quae ex quorumdam sententia prave *scripsisti et velles in iisdem perstare, tunc tu liberabis a silentii vinculis me et omnes Deum timentes, ideo ut libro et sine *p. 133.

libro contra te praedicetur alienatio quae ab acie lucida exercituum Domini excludit[1]. Si vero hoc tibi quoque placet, sicut quibusdam placuit, defectionis tuae beneficium sit tuum et non alius. Sed priusquam accidat tempus, quod accidere nolit Deus, hoc est, tempus aggrediendi controversia cogitationum logicarum stultitiam erroris illius quem commisisti, memento Isaiam Taḥalensem[2], insulsum ignarumque ante te ipsum eadem, eodem modo, iisdem vocabulis scripsisse, et quomodo primum ab homine Dei et athleta spiritali sancto Mar Ḥnānisoʿ, zeli pleno, in libro refutata fuerunt, postea ab *homine* divina caritate *incenso* et humilitatis fonte Patre nostro Mar Iacobo viva voce reiecta, deinceps rursum a secundo Elia et igneo propheta sanctissimo Mar Babaeo in libro damnata, et hunc in modum paullatim ab omnibus Deum timentibus reprobata fuerunt, donec ipse quoque homo fatuus eorum inventor divinis scopis in sterquilinium Ecclesiae, hoc est, in indubitatos haereticos eiectus est. Hic est enim ordo processus ordinis erroris, ut errantes a parva nequitia incipiant et in eam quae maior est desinant.

Memento quoque, si lubet, huius libri «Refutatio cogitationum» inscripti qui, rogante suadenteque patre nostro, pia memoria digno et venerando, Mar Iohanne urbis Bēth Lapaṭ episcopo metropolita cum omnibus viris nobilibus et in ecclesia honoratis, compositus est adversus eos qui olim et hodie sententiam hanc confusam
*p. 134. varietate multarum specierum *proferre ausi sunt. Ecce hic liber serpit Dei gratia apud Syros et Aramaeos et Huzaeos et Persas[3], ut tibi etiam compertum est. Cur igitur tanquam rem novam et a nostro tempore alienam aperte aggressus es opus quod iam multis virorum veracium argumentis consenuit?

Idcirco intellege, si potes, o frater, quid valeant haec vocabula : natura, hypostasis et persona, nomina quibus utitur sermo eorum qui confitentur Christum, et ista vocabula non facile patiuntur a sensu suo stricto averti et inter se commutari, ita ut alia pro aliis ponantur aut unum et idem sint, sicut te putas et etiam scripsisti et *sicut* alii quoque opinari ausi sunt. Quemadmodum aliquis, cum bovem asini nomine seu hominem equi nomine appellat, stultus et ignarus peritis videtur esse, quia nomina cuiusque rei eum sequi

[1] Cf. infra p. 103, l. 4. — [2] Cf. Assemani, *Bibl. orient.*, III, part. 1, p. 118. — [3] Hoc est, per Syriam, Babyloniam, Susianam et Persidis regionem.

quocunque ire velit non patiuntur; sic quoque, si tu personam hypostaseos nomine, seu hypostasim personae aut naturae nomine, seu faciem imaginis nomine, seu unamquamque harum rerum personae nomine appellas, non patiuntur nomina te sequi ut iubes. Singulae enim appellationes sensum suum proprium habent, quamvis communem generis affinitatem praebeant, et de una eademque re dicantur.

Nomina quoque facultatum animae, id est, nomina mentis et scientiae et cogitationis et intellegentiae et prudentiae ad unum genus pertinent et magis quam priora sibi affinia sunt, attamen unumquodque eorum pro sono suo sensum distinctum habet. Si aliquis arbitrio suo ista mutabit, ea illi non obedient. Quae sibi valde affinia sunt, si quis ex viris rationis participibus in nomen mutuum, hoc est, *in eumdem sensum includere[1] non potest, cur tu per- *p. 135.
sonam hypostaseos nomine et hypostasim personae nomine appellare audes? Nonne iam initium corruptionis introducis in logicem et in omnem vocem quae de unione Domini nostri *usurpatur*? Persona quidem, frater noster, distinctiva est hypostaseos; voce speciebus multiplice enuntiatur et habet capacitatem mutationis potentem; et multiplex est eius definitio, ut dixi. Hypostasis vero habet tantum definitionem naturae in individuatione et in simplici enuntiatione essentiae suae seorsim manet, cum omnem rationem substantialitatis in se demonstrative contineat neque mutari patiatur. Cur tu igitur tales res nomine et sensu distinctas in unum et eumdem sensum reduci audacia stulta cogis? Si quidem una et eadem definitio personam et hypostasim continet, ut putas, hypostasim et naturam, melius etiam quam istas, una et eadem definitio continere potest, et stultitia nomina assimilandi te in foveam indubitatorum haereticorum mox proiiciet. Quid ergo vobis cum nomine honorato orthodoxorum et cum praesidio gubernationis Ecclesiae Dei, cum ad fidem evertendam dolos insulsos machinamini?

Ne etiam, frater noster, alio errore alliciaris, quem aliqui proferunt dicentes personam et hypostasim apud Graecos eamdem rem esse. Disce vero a linguae peritis qnōmā appellari *ὑπόστασιν*; qnōmā autem significat statum et constitutionem et confirmationem; parṣōpā vero appellari *πρόσωπον*; parṣōpā significat faciem *et distinctionem et perceptionem et signum essentiale et *p. 136.

[1] Pro [illegible] forsan legendum est [illegible]; cf. l. 20 eiusdem paginae.

dominans. Haec quidem nomina apud Graecos exstant et hic est eorum sensus. Vanae sunt opiniones quas illi homines emiserunt. Erraverunt ipsi et te quoque deceperunt, cum dicunt idem esse apud Graecos nomen hypostaseos et personae; et tali errori confisus es nugas in re fidei componere, praeter alia quae tu mentis inops plus aequo addidisti, nempe «subsistentiam unicam» et «hypostasim singularem», et ceteras ineptias, quas ego ob stultitiam ipsarum memoria mea ne retinere quidem potui. Quod si non exspergiscaris ad sanam mentem revertens, nec eas corrigas, ut decet, laborandum tibi erit in lectione earum refutationis necessariae.

Nunc recole id quoque, frater noster : civitas illa Deum amans, in qua ministerium episcopale gratia Dei geris, fidem orthodoxam maxime tenet diligitque, et per longos annos tanquam zizania e sinu suo illos depulit qui e longis annis haereticorum errore detinebantur. Omnes qui in ea ministerio episcopali functi sunt, hanc pugnam usque ad mortem pugnaverunt. Unum quidem de illis, ut fert verbum, in desertum vastatum duxerunt liqueruntque haeretici, ut siti pereat aut leonibus devoretur, quod accidisse dicitur; alium vero in flumen urbem transiens iecerunt, ut suffocaretur, sed miraculo divino salvatus est. Hoc modo cum omnibus decertaverunt, donec vis orthodoxorum Dei auxilio firmata fuit, et amaritudinum radicem everterunt e media urbe illa dilecta et amata. *p. 137. Ecce *nunc omnes sunt tritica pura in agro Christi, et si de te hanc conversionem sentient in quam inclinatus es, quid futurum sit non est scitu difficile.

Memento, amice, testimonii mei de te, cum te tanquam filium a me eximie instructum iis commendaverim, iique a commendatione mea te acceperint. Quod si, absit! accideret, ut alius inveniaris quam testimonium meum et quam existimatio mea te *fecerunt*, necesse esset eos reprehendere nosque omnino reprehendi ut homines errori obnoxios.

Te igitur propter haec omnia decet e laqueo Satanae tibi obstante aufugere. Ego scio quod dices : «Ego quidem librum adversus haereticos conscripsi, ut eius inscriptio multaeque voces ostendunt.» Sed scito, beate, librum, qui inscribitur «Adversus haereticos» et menti haereticorum latas fores alicubi aperit, haereticorum auxiliatorem et non eversorem esse. Neque enim ipsi haeretici in omnibus haeretici sunt, sed in aliquo puncto sunt haeretici, in pluribus vero orthodoxi sunt et recte confitentur. Hoc quoque modo de

re ad te pertinente respondendum est; te decet, ut dixi, in omnibus orthodoxum esse. Cura igitur, frater noster, sollicitudinem eximiam et praecipue orationem protractam, quae huic rei congrua sit, a te adhiberi, ne tu nomen bonum perdas, ab acie exercituum Domini excludaris, e fundamento veritatis et familiaritate orthodoxorum concidas, nosque dolore deflexionis tuae affligas; sed ut, cum per timorem Dei ad stabilimentum doctrinae verae, in qua instructus es, pulchre reversus sis et in ea corroboratus sis secundum spem orationemque nostram, nos et totam Ecclesiae animam gaudio, quod Deo placebit, laetifices.

*Dominus noster, dominus misericors qui et a mortuis suscitare *p. 138. potens est[1], tibi auxilietur et te confirmet, ut in veritate eius perfectus sis ad gloriam nominis eius sancti, amen! — Explicit.

VIII. — Ab Īšō'yahb, Guriae fratri meo : sit salus Domini.

Vix per longos annos me paucis lineis epistulae dignum iudicavisti, et haec *epistula* nullum nomen nullamque indicationem gerit, quasi volueris me cuius sit epistula scire non posse; sed e verbo illius qui eam adsportavit et etiam ex aliquot signis in ea *conspicuis* intellexi eam esse tuam. Potui denuo scire te a longo tempore mihi irasci. Quapropter tibi accidit ut omnes homines optime quoque tibi conciliares. Mirare igitur, o care, quomodo, concursu eventuum communium favente, tibi acciderit ut tibi etiam conciliares virum qui iamdiu aliquot eventus resque adversas huius modi sustinuerat. Sed fortasse mihi dices quod alii etiam dicunt : «Non a me sed a te orta est alienationis causa.» Cogitet autem Dei timor in te insitus, o frater noster, etiam omnes persecutores desertoresque meos nihil aliud mali aut doli aut odii nisi idipsum dixisse et dicere tam in vehementi tumultu quam in pace quae nunc exstare videtur. Dei misericordiae gratias!

Sed tu, o vir amans Deum, ex temet intellege cuiusvis hominis *mutationem*. Non sponte, nec dissolutione amicitiae voluntaria, nec multa quidem pravitate illius qui amicus existimabatur conversio *mala et sermo malus et scandalum universale subito apparuerunt, *p. 139. sed *evenerunt* vi agitationis allicientis illius viri qui constitutus est ut scandala talia in mundum quandoque afferret. Quod si, cum a

[1] Cf. *Hebr.*, xi, 19.

malis hominibus inceperit, bonos aggressus sit, amicisque meis manum iniecerit, et domesticis ipsis meis implicatus sit, non destitit quin me a cunctis separavisset, haud magnum fuit si etiam ultra usque ad te progressus sit, et inter implicationes dubii sui te incluserit, effeceritque *ut dubitares vel mutareris*; sed oportebat, amice, oportebat quidem te supra eum omnino videri qualis fuisti. Cum haec legeris, si adhuc contendis sperandam esse victoriam, fatiga paullulum membra tua venique ad me persuasionem fidam inventurus. Si autem tanquam homo debilis persuasionem e longinquo postules, breviter scito et quemcunque velis certiorem fac certamen satanicum, quod in communitatem probandam tumultu immoderato debilitatem meam in diebus actis audacter urgebat, cum fumo densissimo ferox praevaleret, et apud flammas pravi impulsus *Satanae* ardens surgeret, flatu parvo operationis divinae subito ablatum esse, et evanuisse prodigio mirando.

Ecce ad voluptatem priorem, Dei gratia, reversi sumus omnes. Illis qui noscere cupiunt rationem operum, quae apud priscos conscientiam bonam et ostensionem perversam omnium ordinum indicant, argumentum sufficiens ex propinquo datum est. Sed non opus est ut erudiatur, qui doctrina necessitates suas supplet. Si tamen verbum insipientiae audire velit Sanctitas tua, amice, audi : vanitate causarum suarum, et tumultu vique vehementiae suae, et
*p. 140. celeritate finis ruinaeque et dissipationis suae subitae *certamen hoc, quod nunc a familiaribus excitatum est, omnino simile fuit illius quod ante illud ab extraneis *excitatum est*. Utrumque autem periculum in vi arrogantiae eorum *positum* operatio virtutis Dei subito superavit et abolevit, et homini imbecillo qui sum fiduciam eximiam de auxilio Dei erga me praebuit.

Decet igitur eo magis sapere et eo magis Domino nostro placere. Aequum etiam est virum confidentem, qui quoad fiduciam suam imminutus et debilitatus fuit, multum increpari etiamque paullum contemni. Quomodo, o beate, me de furto in furtum cotidie dolis immoderatis deducis? Nonne satis est tibi me iustitiae tuae mendaci fideliter credentem habuisse, et animum meum etiam nunc dispositum esse ut adiuvamen eliciat e sedula commemoratione mei apud te? Et rursum, nonne tibi satis est te saepius migrationes tuas procul a me, mirificis artificiis celavisse? Rursus, nonne tibi satis est te calamitatis tempore amicum tuum *affligentis* procul, et ultra etiam procul, remansisse ita ut neque occulis neque auribus

agonis particeps adesses? Et rursus, nonne satis est tibi, post salutem a Deo datam et post haec omnia, adventu tuo e loco proximo me fraudare, et confessionem et res antea actas silentio iniquo premere, ut etiam adversus me reprehensionibus vanis utaris, et adversus me crimina inania in epistula nullo nomine signata scribas, et adversus me synodus altera in celebri urbe Nisibi a te et a miserrimo homine congregetur, et decreta faciatis, sententias feratis, poenas secundum placitum vestrum decernatis? Haec omnia frustra pertulistis; utinam frustra! sed multo inferiores fuistis debito, id est *illud* auxistis. Ubinam condemnatio descendet? Utrum in illum qui iratus est, cum non spretus esset, an in illum qui spretus est, cum non iratus esset? Quis in crimina iusta ire debet? Utrum is qui adhuc *medio praelio implicatur cum ab iis qui auxiliatores *p. 141. fore videbantur derelictus est, an is qui adhuc quasi a montibus occidentis, ab ultimis terris, in epistula nullo nomine signata iram suam mittit? *Non sunt haec pietatis, frater noster, non sunt quidem*, sed effugii dolosi et ignobilis. Aufer ergo velamen culpabilitatis a mente tua. Veni celeriter propre me, ad dubia quae esse videntur solvenda et legem spiritalem explendam. Si possis tecum fratrem nostrum miserrimum adducere, pulchre ages. Si vero hunc in praedio detentum nunc adducere non potes, tu curis huius modi solutus veni. Salutem da *amicis nostris communibus*. Cum salvus eris, te accipiam. — Explicit.

IX. — Honoratissimis, et qui decus ministerii Domini sunt, Fratribus meis dilectis, N... et N..., presbyteris clericis, et N... et N..., fidelibus nobilibus urbis Nisibis, doctrinarum vivificantium matris, Išōʿyahb, Frater vester : in Domino nostro salutem.

Medio in flumine, quod a nobis ipsis «Tigris» et a Libro divino «Deqlat» dicitur, cum alacritate convenienti epistulam Caritatis vestrae, fratres mei, accepi, cum ad celebrem urbem Seleuciam iter facerem, sicut audivistis, eximia spe fretus, cui Dominus obsecundet prout voluntati eius placebit. *Ea epistula* aperta et lecta, mox incendi coepi igne Caritatis vestrae, qui in doctrinis theoriae spiritalis splendebat tanquam ex luce *mentali a Spiritu sanctifi- *p. 142. cata, protinus paulo post et consequentia laude Dei digna *secundum* spem precum mearum continuarum inveni *eam* confessione ortho-

doxa gloriose fulgentem et nomina illorum commemorantem, qui luce vivificante lampadum linguarum suarum Domino nostro bono et misericordi placuerunt, se specialiter manifestando orbi orientali ad aditus eximios matris honoratae, quae vos corporaliter, nos autem vobiscum spiritaliter genuit et aluit. Idcirco cogitationem, quae ob rumorem perturbantem nobis et cunctis Deum timentibus hic occurerat, tanquam umbram atram satis dissipavit epistula Caritatis vestrae laude dignae. Nunc sum qualis eram priusquam hoc rumore perturbatus essem.

Audiveram enim errorem insanum, qui nomine Chalcedonis perturbationem unitatis hypostaseos introducit in corruptionem fidei verae — quae *confitetur* unitatem προσώπου gloriosi unitatis filiationis Dominicae in duabus formis hypostaticis et naturalibus agnoscendam, sicut epistula vestra pulchre docebat — ante paucos dies, in libertate furtiva et subrepta, e cathedra principatus vestri cum voce perturbante auditum esse. Sed non destitistis, ut etiam audivi, libertatem linguae errantis frenis correctionis avertere. Pulchritudinem honoris eximii vestri perfecistis his quae nunc ad me scripsistis. Quamobrem gratias Domino nostro egi agoque et pro magnitudine rei gavisus sum. Sed oro, ut sine imminutione servetur excellentia urbis Domini potentis, urbis Dei nostri, matris quae vos genuit et aluit, in saecula saeculorum, amen!

*p. 143. De his vero, quae una mente *cum debilitate mea concordes, mihi scripsistis ob negotium sublime, cuius ad ministerium vocati sumus, sciat Sanctitas vestra multo melius quam percepistis distinctam fuisse in honorem vestrum notificationem rerum. Missus enim erat ad vos certiores faciendos et in synodum hanc praesentem vocandos vir honoratissimus in coetu clerorum paterno et patriarchali. Sed eum pavidum ex urbe Balad retrogradi coegerunt rumores perturbantes qui tunc in urbe vestra prodiebant. Re mihi comperta, moram non culpavi, sed merito curavi de tempore vobis denuo renuntiando, quando nobis licebit alios aliis in civitate Seleucia occurrere. Hanc vero cogitationem distraxit iniuria adversi temporis urgentis, quod sane non praesensiveramus. Et ita acciderunt quae acciderunt, sicut epistula vestra refert, in reprobationem illorum qui ea ministraverunt. Postea vero, cum in ipsa urbe Seleucia rumoribus horrendis excidii mundi nos quoque homines debiles cruciati simus, et conversione cogitationum multiplicium agitati plures dies egerimus, vix synodum dissolvimus ad nostra lo-

ca reversuri, donec festa sancta *simulque* rumores varii praeterirent.

Ecce nunc Domini nostri ope iter illuc per viam fluvialem facimus, quoniam ad nos scriptum est cum festinatione maxima, quae nos illuc euntes surripit. Quod si secundum accelerationem existimatam ita nobis accidat, ut prospere cedat negotii perfectio, gratias pro perfectione Deo et gratias pro concordia vobis quoque agemus, quia conscientiam bonam ad negotium urgens perficiendum in epistula expedivistis. Si vero ex inimicis solitis mora surgat, pulchrum est mihi nuncium mittere quod apud nos aderitis, ut quasi directores corporis *communis directionem sermonis detis *p. 144.
pro omni bono opere suo tempore. Pulchrum igitur est vos venire, etiam si opus perfectum reperire debeatis, et praesertim ea ratione, ut id ipsum quod vobis singulari in parte deest, concursu generali *omnino potentes sapienter compleatis*; de quo etiam paullo ante, cum in civitate essemus, ad Caritatem vestram scripsimus, quod (scriptum) nondum apud vos pervenit, sicut ex epistula vestra intellexi.

De his autem, quae mihi rursus particulari modo scripsistis propter scissionem intimam, quae inter vos orta est, absorptus est *puto* dolor vester singularis doloribus omnium generalibus, et minus dolui, quanquam dolore res valde digna est, quia iuxta verbum de Aegypto olim dictum [1] : «Nulla domus est nunc nobis.....», id est, nulla civitas sive urbs, nulla gens sive tribus, nulla domus in qua non sit mortuus talis, et fortasse sicut finis Aegypti festinat finis communitatis. Rebellavimus enim etiam velut Pharao, et decebat nos iam derelinqui.

Attamen utilitatem communem respicite, amici et fratres, quaeso, et onus debilium suscipite, si inter vos sint tales homines. Purificate animam fidelem pro Domino, ut recipiantur et possideantur discipuli sodalesque, et sanctuarii mensaeque eucharisticae ministri, et passionum socii, et virtutum cultores. Scitis enim bene tempus; scitis quodcunque scire oportet : scitote ergo, ut vos decet, e parva scintilla ignem accendi [2]; ita prodierunt eventus acti. Ne vos debilitem, dum adhortor, sufficit nutus persuasionis. Assentite vos quidem ut doctores Dei, et date nomini vestro bono decus ei conveniens. Colligite vero mihi et omnibus Deum timentibus ubi-

[1] Cf. *Ex.*, xii, 30. — [2] Cf. *Eccli.*, xi, 34.

*p. 145. cunque materiem *aptam pro laetitia spiritali et Dei confessione. Ipse Deus bonus et misericors insignes vos reddat in virtutum perfectione; nobis vero in gratia sua det ut reliquos dies nostros in vita quae Dei voluntati placeat agamus.

X. — Epistula ad Nuhadraeos.

Pars persica[1] ommissa est.

At vos, o fideles sapientes, qui, ob multum studium vestrum de honestate, procul etiam nobis scripsistis et fratrem nostrum dilectum et honoratum apud nos misistis ad nos hortandos seu nos sollicitandos de eo quod vobis placuit : ut per nos potestas gerendi sanctuarium et oblationes Domini viro casto sanctoque et omnibus commodis valenti Mar Qardawaia nobili confirmetur, ubi eratis paullo ante, quando regionem vestram a finibus proximis ad fines ultimos transivimus, media in ea dies circiter quinquaginta morati sumus, et reversi sumus et eam iterum a finibus ultimis ad fines proximos transivimus? Nonne nobis tanquam homini cuilibet obviam non ivistis? Nonne nunc ad me tanquam ad hominem quemlibet scripsistis et etiam apud nos fratrem nostrum honoratum misistis? Ubi sunt probra, quae mihi exprobravistis verbis et factis, quia non properavimus id agere, quod tunc ut a nobis ageretur postulabatis? Quomodo, quando nos miseri reprehensiones cuiusvis modi effugiemus? Quod si homines opus laudabile ex eis qui legem divinam laudant haberent, id fortasse capere et periculum cotidianarum reprehensionum vitare possemus; sed, quia mundus beneficium
*p. 146. amoris virtutis perdidit, *nunc in discrimine positi* *et *multas* aerumnas a quovis subeuntes, tempus est nunc nobis mortem exoptandi *diligenter tanquam auxiliatorem bonum.*

Dolui enim, stupui, animi boni inops factus sum et dolor meus *renovatus est*, cum legissem quae scripsistis et audivissem quae misistis et vidissem vim sapientiae vestrae in operibus timoris Dei : *et perturbatus sum* ut invenirem quomodo agere deceret. Melius iam mihi visum est silentium a colloquiis mundanis quam quidquam aliud; sed opinionis periculum didici, et paullum loqui sivi latorem epistulae vestrae et adductorem missionis vestrae, ideo ut amicitiae vestrae decus responsionis solverem. Opinor me vobis demonstra-

[1] P : Pars nuhadraea.

tionem tristitiae animi mei ut argumentum debile afferre posse. E viro honorato, quem ad nos misistis, audite nunc quae necessaria sunt, et me in animi amaritudine iam linquite, secundum lamentationem prophetae.

Ecce apud vos ipsos sunt Deus et Qardawaia. Quem vobis placet capere, capite. Utrumque enim una a vobis capi neuter patietur; etiamsi eos multum urgeatis. Sed, si eos seorsim capitis, faciles sunt iudicio magno capi (?), sicut vos ipsi novistis. Si forte sapientiae expertes sitis, ecce dixi latori epistulae vestrae, pauca verba vobis referenda, quia non facile est conversionem mentis de hoc negotio ad vos integre scribere. Materiem vero commemorationis nostrae parvam praestans, haec sola vobis scribo :

Episcopus vobis est senex honoratus et castus, quo mediatore ad opes et divitias magnas processit monasterium patris nostri Abrahae per annos circiter quinquaginta. Illum, ob debilitatem et senectutem eius et praesertim ob honorem eius nobis pretiosum*, nec *p. 147. ob episcopatum qui exigebat ut exinde ad sedem eius paternam *abiret*, coegimus hoc facere; nec, cum viderimus thesaurum oblationum Domini viro probroso et pernicioso ab eo traditum esse, potestatem gerendi thesaurum oblationum ab eo eripuimus; nec ullo modo in quavis re tolerabili eum ursimus, nec nunc quidem, quamvis persuasum habeamus nos omnes detrimentum domum patris nostri Abrahae passuram esse, quamdiu ille ita propensus est in virum castum et sanctum Mar Qardawaia! Non enim si Qardawaia extra monasterium stet, non etiam si extra regionem et provinciam sit, detrimentum copiosum impedire possumus, quod ab eo domui patris nostri Abrahae continuo efficitur. Quod si vos putatis, eo in monasterio habitante et nomine potestateque directionis ornato, sine detrimento ab huius parte monasterium patris nostri Abrahae futurum esse, multum erratis. Sed melius erat, ut opinati sumus, sine assensu nostro vestroque domum patris nostri Abrahae diripi, id est, eo nominis potestatisque directionis experte et in monasterio non habitante. Nunc autem, cum intellectus vestri sapientia magna aliter iudicare velit, quippe qui christianitatis et operum mundi probatores sitis meliores quam ego, pecuniam verbi oris Domini[1] super mensam auditus vestri iacimus, et eam Domino nostro tradimus : eam cum foenore exigere Domini solius est, sive

[1] Cf. Matth., xxv, 27.

nunc exigere velit, sive ulterius in ardore ignis! Hoc tantum dicimus nunc, quantum epistula continere potest.

Quod si ob debilitatem et senectutem suam episcopus loco suo directorem monasterii facere velit, virum sui similem instituat, id *p. 148. est, castum *et sanctum, cui monasterii curam tradat, ut fit ubique in omnibus magnis coenobiis. Si vero censetis, ob multitudinem opum et divitiarum nocentium in ordine monachorum non inveniendum esse hunc, et revera inveniri monachum cupidum divitiarum non decet, eligat episcopus e vobis ipsis fidelibus quemdam vobis omnibus praestantiorem, quem monasterii procuratorem faciat, de bonis mundanis monasterii sollicitum, et vectigalia tributumque gubernatoribus laicis tempore aequo praebentem; episcopus autem tranquillus sedeat requiescatque, ut exoptat, dum monasterium ministrabitur coenobii more et rectitudine coenobiis convenienti. *Haec ita tractabit episcopus*, si opes quas possidet pro Deo et pro monasterio possideat; si autem pro Qardawaia eiusque posteris *possideat*, velitque hunc heredem constituere, sicut etiam eum iam constituit in testamento quod fecit, tunc animos vestros suscitate vos quoque, oculos cordium vestrorum aperite, et quod vobis dicimus audite. Dicimus vero cum alacritate et in pace, sine velamine et sine ira, haec :

Episcopus beatus placide sumat omnes opes et divitias, quas ei placet Qardawaiae in hereditatem tradere, sed, monasterio non nominato, eas det, ita ut, extra monasterium possessionem capiant heredes, quomodo eis lubet. Nobisque nihil disputandum est cum eis de possessione, et praesertim nunc cum scimus id vobis placuisse et placere, ut bona monasterii, quae ab hominibus universis Deo in monasterium sanctum patris nostri Abrahae data sunt, Qardawaia habeat. Sed hoc tantum rogamus, ut monasterium patris nostri Abrahae a directione et sanctitate Qardawaiae immune linquatur, sine divitiis illis, quae ante oculos vestros tanti penduntur. Monasterium patris nostri hereditas contemptorum hominum mei similium sit; possideat Dominus monasterium suum et Qarda- *p. 149. waia opes eius; episcopus *autem honoretur a monasterio tanquam a sanctuario Domini et a Qardawaia tanquam ab herede opum eius.

Quod si ne hoc quidem vobis placeat, sed illud tantum vobis placeat quod iam vobis placuit, ut monasterium patris nostri hereditas Qardawaiae sit, vobis per nos clamabit beatus Paulus apo-

stolus[1] : « Apud nos ipsos non est mos huius modi nec apud ecclesiam Dei. » Quamobrem negotia exigunt orationem potentem, quae mortuos suscitare, daemones eiicere, et hominibus cor novum spiritumque novum dare valeat ut voluntatem Domini noscant.

Haec vero ad vos scripsi, ut patrem nostrum patriarcham excusarem, qui ipse secundum voluntatem nutus Dei eum ducentis, Qardawaiam anathematizavit eumque a directione monasterii patris nostri expulit. Cum prope vos nunc non adsit ille, ut se excusaret apud illos qui eum vituperant vel sollicitant, me decet, qui prope adsum, loco eius loqui. Sponte mea scripsi et scripta misi. Ceterum responsionem epistularum vestrarum ad eum expeditarum mox recepturi estis. Fortasse secundum cupidinem vestram vobis respondebit et sine angore eritis. Ne vero frustra ad me ipsum de his rebus scribentes laboretis, quia in Deo confido, *fore ut* ipse non me derelinquat, ita ut unquam mihi placeat odium; sed ut libertatem meam in conscientia pura custodiat per cunctos dies vitae meae in hoc mundo. Vos etiam gratia sua in viam voluntati suae gratam ducat per cunctos dies vitae vestrae, amen! — Explicit.

XI. — Ab Išōʿyahb, ad amantes Deum Fratres meos caros Ardašīr, Nisania, Boktiazd, Abraham, Mar Sergius, et illos *qui cum iis *p. 150.
certamini passionum temporalium addicti sunt : in Domino nostro Iesu Christo se amantium confortatore, pax vobis multiplicetur!

Audivi, e perturbatione calamitatis temporis, parvum flatum contemptorem honori alacritatis vestrae accidisse cum detrimento temporali et minis mundi relinquendi. Et ut tres eas res dicam, cum mundus illustres viros a sede eorum saeculari expellat, auditus ille nos affligere possit, nisi cum commotione auditus iuncta sit eximia spes virtutis vestrae in hoc casu sufficientis. Attamen non multo post rumorem cruciantem, et melius dicam, una cum eventibus ipsis persuasionem consolantem debilitati meae attulit auditus sapientiae vestrae contra passiones efficacis; quam et audivi. Et igitur nunc mihi gloriari licet contra sapientiae contemptores et fide destitutos, et etiam contra mortem quae mundi stulti terribilis regina est. Huic quoque tempori convenit talis gloriatio, in quo per talia confisus sum ut gaudeam et Deo gratias agam. Si vero

[1] I *Cor.*, xi, 16.

secundum spem meam de vobis, o viri pii, me ipso haud afflicto et fiducia in Deo non imminuta, in probatione praesenti persistitis, gratias muneri Dei, qui vos sapientiam amantes tempore experimenti sapientes veros esse ostendit. Gratias quoque pietati vestrae, quia flatum probationum mundi vi fortitudinis vestrae optime dissipatis. Pulchre decet a principibus typorum virtutis omnem typum virtutum praeberi praesertim cuicunque bene vivere volenti, et me quoque maxime in spe eximia de vobis confirmari.

*p. 151. *Quod si debilitate passionum humanarum et atra commotione calamitatum vobis etiam ut viris corporalibus acciderit conversio pusillanimis, et inde in animi terrorem ad breve tempus lapsi sitis et aliquantisper vulgi more ad miseriam occidentalem distracti sitis, tunc aperite vos omnes, scilicet vestrum unusquisque, bibliothecam intellectus vestri lucidi et exinde antiquas lectiones pulchre ibi collectas haurite. Nutrimentum parvum salutare e libris naturae, plurimum vero e libris spiritus, afferte in persuasionem mentis aegrotae. Mementote optime mundi, et temporis, et potestatis praesentis, et multitudinis dolorum communium, et conversionis continuae rerum corruptarum, et defectionis promptae victorum momentaneorum, et casus virtutis honorandae, et ruinae sapientiae laudabilis, et N.. N.. inter eos qui boni fuerunt, et N.. N.. quoque inter eos qui mali fuerunt, et ita quoque N.. N.. sanctorum et piorum, et viae hodiernae, et mobilitatis vicissitudinis, et liberationis per mortem a doloribus calamitatum praesertimque a peccato ipso, et rerum futurarum quarum spe nos meliores esse quam ceteri populi existimamur, et mansionum praeparatarum quae dictae sunt[1], et cruciatus instantis qui quam divitiae terrestres multo magis praestat, qui in parte bonorum a me ponitur prae cogitationibus temporis nostri.

Minor quidem mihi videtur et imbecilla commemoratio paucis his verbis facta pro viris excellentibus, quorum conscientia spe rerum caelestium firmatur. Sed sane pro facultate mea locutus sum. Subito destiti ob impetum recordationis magnitudinis sapientiae vestrae, ne vos ullo modo imminuerem, dum docere viderer viros pios qui multorum suasores sunt.

Ne tamen rursus commotione adversa praesenti accidat sapien-
*p. 152. tibus *optimis conversio pusillanimis, sed tota integra maneat

[1] Cf. Ioh., xiv, 2.

excellentia virorum in cunctis pulchris modis laudabilium : expellite itaque ex habitatione cordis vestri cogitationes alienas quae occurrerent. Date tempori quod eius est secundum tempus, sapientiae quod eius est ut amici sapientiae eximii, fidei in Domino spem firmam, probatori animae robur spiritale, iis qui post vos certamen passionum passuri sunt experientiam patientiae, iis qui de utilitate sapientiae et religionis Dei minus persuasi sunt amorem utriusque, animae vero vestrae ipsi voluptatem spei laudabilis. Mihi quoque et cunctis viris piis sapientiam colentibus, qui passionum vestrarum memoria adducimur in precibus continuis, concedat Dominus noster in gratia misericordiae suae salutem vestram, liberationem a periculo praesenti, effugium a calamitatibus vobis instantibus, reditum vestrum ad gaudium vitae liberae, et victoriam virtutum vestrarum in mundo pro longis temporibus futuris. Ne nos rursus inducat in tentationem Dominus noster, sed liberet nos a malo et a peccato; et corroboret nos ad voluntatem suam omni tempore agendam, quia eius sunt regnum et potestas et virtus et gloria in caelo et in terra, nunc et semper et in saecula saeculorum [1], amen ! Estote firmi in Domino ! — Explicit.

XII. — Sancto Dei Patri nostro venerando Mar Henoch episcopo, Išō'yahb : in Domino nostro salutem.

Accepi et legi quae scripsisti et de sanitate tua *Domino nostro *p. 153.
gratias egi. Quia tempore consilii egente me advocasti ut decretis assentirem, quae olim Sanctitas tua secundum ius legum paternarum optime ordinaverat in negotiis irruentibus, sed a quibusdam inique repudiata sunt, opinione hominum errantium praevalente, laudavi convenienter obsequium Caritatis tuae erga debilitatem meam. Sed quod in dubio quidem Sanctitas tua res posuit, in quibus operationis tuae manifestatio canonibus, libris et natura laudatur, hoc pulchre actum esse non mihi videtur. Pulchrum enim est veritatem omni tempore dicere. Pulchrum est et veritatem omni tempore exequi. Maxime autem pulchrum hoc pro sacerdotibus Dei, primum canones sacerdotales vindicare quales scripti sunt, deinde interpretationes sacerdotales cognoscere, sicut id quoque scriptum est, et eo usque progredi : «Quidquid vident

[1] Cf. Iud., 25; Apoc., vii, 12.

oculi sacerdotis videat sacerdos.» Et si enim aliquis tali visu destitutus est et idcirco in legibus divinis errat et propterea venia incapacitatis suae dignus est, qua tamen caecitate obruti errare possunt in regulis, quae et nomine et sensu luculenter fixae sunt in institutis aeternis et sane scriptis? Earum una est quam secundum canonem Paternitas tua reiecit, quidam vero sicut laudatores iniqui extulerunt eam, in spe fallaci. Sine dubio itaque a Paternitate tua semper custodiatur experimentum, quod a te in scriptis fixum est et ad debilitatem meam missum est, *nempe* : reprobare matrimonium illegitimum viri cum uxore avunculi sui et praesertim privare maritum talem hereditate huius mulieris, quae cum eo inique iuncta est, et culpae obnoxia obiit. Hereditatem mulierum dico, non quidem eam quam pravus mos tradidit, contra intentionem
*p. 154. Libri divini et contra doctrinam quae *hucusque in hoc imperio vigebat, *id est uxoribus in hereditatem tradere bona maritorum* suorum sine testamento aut sine donatione maritorum, quae a filiis, vel a filiabus, vel a fratribus, vel a patruis, vel a cognato proximo accipienda esse iussit Deus. Sed dico hereditatem mulierum iustam, *nempe* dotem quae a domu patris sui aut a domu mariti sui tempore traditionis ipsius mulieris, aut a marito tempore mortis eius, aut sponte a filiis suis, aut a principibus Ecclesiae pro elemosyna aequa et recta data est, secundum bonos mores mulieris et eius agendi rationem domesticam erga maritum suum et filios suos. Immo hereditatem hanc legitimam mulierum ab iis iusta lex aufert, quando ipsae illegitimitate connubium suum polluunt, heredibusque iustis tradit, hoc est, earum filiis. Hae sunt in provincia nostra leges christianae quas tenemus et exequimur.

Si vero apud vos per quosdam homines contra legem ecclesiasticam nunc prolatae sunt seniorum traditiones quae decretum a tua Paternitate legitime sancitum abolent, ita ut ii homines non solum[1] connubium uxoris avunculi permittant, sicut Sanctitas tua mihi scripsit, sed etiam hereditatem filiorum mulierum istarum sumunt et tradunt maritis earum illegitimis, et extraneorum probro contumeliaeque doctrinam sanctam christianorum obiiciunt : vobis sit cura, ut iniuria communis excusetur et iudicium ante formidandum tribunal Regis caelestis feratur.

Me quidem epistulae breve spatium et festinatio itineris impe-

[1] ܗܘܐ ܒܠܚܘܕ in cod.: sed lege ܠܐ ܒܠܚܘܕ.

diunt quin cuncta quae requirit negotium Sanctitati tuae scribam, et eo magis, quod persuasum habeo te melius quam debilitatem meam ea cognoscere, et rursus quod spem foveo fore ut, quando Deo placebit, *alter alteri occurramus cum Catholicus in provin- *p. 155. ciam nostram veniet. Haec vero Paternitati tuae scripsi ut respondeam rogationi consilii amici a te quaesiti, et etiam ut tibi ostenderem me, sicut videre volebas, decretis tuis in hoc negotio editis assentire, ob has res quas tu propter hoc recto animo legaliter scripsisti et tradidisti. Oret igitur Paternitas tua ut, quando digni erimus qui alter alteri obviam eamus, votis nostris expletis, ea negotia rectitudinem perfectam suscipiant, Deo iuvante. Ora etiam pro me, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — EXPLICIT.

XIII. — AB IŠŌʿYAHB, AMANTIBUS DOMINUM FRATRIBUS MEIS CARIS BAR ḤADBŠABA, ARCHIMANDRITAE, ET FRATRIBUS CASTIS, QUI CUM EO DEGUNT: SALUS SIT IN DOMINO NOSTRO.

Accepi et legi quae mihi scripsistis, vidique etiam fratres Deum amantes quos ad me misistis. Ob sanitatem vestram et zelum vestrum in hoc negotio gavisus sum et Domino nostro gratias egi. Memorias temporales consequenter recolui. A lingua quidem perita Ecclesiae sanctae Dei dictum est : «Sane melior est separatio pro religione quam unio compatiens.» Rursus ab eadem pulchra lingua dictum est : «Nihil aliud tanto modo nos ad totam animorum concordiam ducit quanto theologica concordia.» Ex priori autem sententia[1] ita dicta, tanquam e causa laudabili et necessaria, occasionem separationis sumpsit noster primus congressus cum patribus vestris. Et cautionem recedendi auxerunt multae temporis acti res adversae, ita ut, mundo tempora et personas per multos annos mutante, vix *hactenus theologica circa redemptionem concordia ad *p. 156. animorum concordiam in laude Dei nos adduxerit Deus, gratia sua, secundum sententiam posteriorem supra dictam.

Quocirca a tempore paullo ante elapso, quod post longum tempus obvenire disposuit Deus, hoc est, quando angelum Satanae e coenobio, ubi degitis, eiecistis, et gloriam fidei orthodoxae pauca sollicitudine amoris virtutis apud vos reduxistis, procul et prope mihi

[1] Lego in sing. pro plur. codicum.

et cunctis fidem orthodoxam amantibus animum vestrum fidelem ostendistis, et familiaritatem intimam apud cunctos Deum timentes invenire potuistis.

Aequum quoque erat, ut, sublata apud vos causa separationis, concursum commixtum a parte nostra iuste in conscientia bona vobis offeratur, sicut et disposuit Deus, scilicet in Sinai nostro, in sancto monte Domini, in sanctuario visionum spiritalium. Omnino etiam congruebat quod fecistis, ut, expeditis fratribus et epistulis pacis, occursum meum procul sollicitaretis.

Accepi ergo cum laetitia et Domino nostro gratias egi. Quid enim pro viris, qui munera sacra Domini assumpserunt, praestantius est quam, cum ii pulchre fide veritatis firmiter moti gloria vitae asceticae splendescunt, alacrem accessum apud bonos homines obtinere in cunctis laudabilibus negotiis? Scitote igitur, o casti, et puto vos scire, *quemadmodum cultum virtutum sub velamen occultationis* collocavit verbum dominicum, sic gloriam fidei super candelabrum et super tectum et coram regibus principibusque dedit libertatem praedicandi, et usque ad modum superbiae eam elevavit
p. 157. ordo dominicus. *Vana nunc autumat qui autumat sine robore et superbia fidei vitam inveniri posse ex alio labore. Dictum est quoque : «Nemo firmiter vivit nisi recte credat[1].» Sententia inversa, dicemus : «Nemo recte credit nisi firmiter vivat.» Motus ergo vitae ex fide est agendi ratio firma, et anima operum spiritalium est fides omnia vivificans. Bona et pulcherrima est militibus spiritalibus sollicitudo in utraque re, id est energia in utraque, id est victoria in utraque. In utraque igitur curam gloriae habete, fratres dilecti.

Ecce nos vobis famulos et ministros, ne dicam fratres et patres. Omnia quidem vestra sunt : Paulus et Apollo et Cephas[2], Christus et Pater eius et Spiritus eius sanctus, et regnum eius et gloria eius aeterna. Perseverate in oratione, quae mater virtutum est. Estote vigiles in ea et gratias agentes. Sopitae enim mentis sterilis est gratiarum actio ipsa. Panis assiduus vobis sint lectiones spiritales : in eis enim latet robur animae. Curae corporales celeriter transeant tanquam opus asperum pro imperio necessitatis. Miseriam rerum materialium laicis linquete. Vos vero, ut pauperes spiritales sitis, studete. Pulchre illuminate lampadem mentis vestrae oleo pruden-

[1] Cf. *Rom.*, I, 17. — [2] Cf. I *Cor.*, III, 22.

tiae, ut cernatis rectam viam in veritatem Evangelii. Multa quidem hoc tempore est caligo erroris. Quamvis dictu periculosum sit, hoc tamen scriptum est[1] : «Mittet illis Deus operationem erroris, ut mendacio credant.» Quibus igitur? nisi illis qui amorem veritatis accipere noluerunt, qua viverent. Vigilantia ergo magna et visu mentis perspicuo nobis opus est *hoc tempore, ut fortasse miseri- *p. 158. cordia digni simus et salutem aeternam inveniamus. Dominus noster prope est; et si volumus quaerere eum, medio in conclavi eius secreto facile inveniemus, si animae nostrae curam optimam habebimus. Sed vis auxilii eius debilitatem nostram omni tempore adiuvet, ut voluntatem eius quocunque momento per omnes dies vitae nostrae faciamus, amen! — Explicit.

XIV. — Ab Išō'yahb, amanti Deum Fratri nostro Mar Mōšē, sacerdoti et notario : salus sit in Domino nostro.

Accepi olim in itinere et propere et a viatore occurrente, nunc autem domi et in quiete vicissitudinum experti et a tabellario qui responsionem exspectat, epistulas Caritatis tuae. Priori quidem epistulae quominus prius responderetur, modus quo ita venit illa defectusque tabellariorum aliorum impediverunt; alteri vero praesenti, nunc etiam respondetur in tempore ipso praesenti, et simul quoque priori. Scripsisti sane olim de multis quaestionibus dubiis multa consilia mihi et viro beato apud quem bene positum est negotium Caritatis tuae. Id mihi placet quod iam non ita laborares suadendo, sed perseverans cum operibus caritatis recrearis et tua sunt iam opera[2] caritatis, etiam operibus fides perficiatur, ut scriptum est[3], hoc est, fructibus suis caritas perficiatur. Haec quidem ad epistulam priorem. Epistulae vero praesenti, quae solum mentiones caritatis praebebat et salutem convenienter dabat, pulchrum est convenienter fructum salutis reddere. In pace itaque esto, frater. Gaude et gratias Deo age de his quae apud nos aguntur. Pater enim noster Catholicus ipse sanus est, et eius opera in gloriam Dei prospere cedunt *cum signis et miraculis variis. Debili- *p. 159. tatem quoque meam abundanter fovet providentia Dei, et nunc pace fruor in libertate multo elatiore quam submissio temporis patitur et peccata mea merentur. Ora igitur ut voluntas nostra in

[1] II *Thess.*, II, 10. — [2] Legendum ܥܒ̈ܕܐ pro ܥܒܕܐ. — [3] Iac., II, 22.

voluntate Dei omni tempore perficiatur. Esto sanus, et Dominus te adiuvet. — Explicit.

XV. — Ab Išōʿyahb, Fratri nostro[1] dilecto et honorato Mar Abrahae, archimandritae : pax Domini nostri.

Audivi a multa humilitate qua praeditus es causam perturbationis praestari tibi et coenobio in quo degis. Id pulchrum non est, immo valde turpe est, quod ex opere hominibus proficuo detrimentum huius modi oriatur. Si enim virtutum mater est humilitas, valde congruum est ut vicissitudinum patientiam tanquam puerum carum alat. Qui in spiritu humilis est omnino adnexam habet virtutem patientiae prudentis. Quamobrem, beate, ne te statu pulchro quo frueris deturbant rumores perturbantes qui tibi acciderunt, a viro qui *fautor est* hodiernae aberrationis et parens hesternae perturbationis per rumores turbidos mundum agitantes. Eius enim stultitiae demonstratio paullo ante cunctis hominibus orbis nostri sufficienter cognita est : quis igitur ex prudentibus verba eius aliquanti faciet et in numero eorum qui responsione digni sint illum computabit nisi sit stultus sicut ille? Aut cui inter honoratos et sanctos, qui ab initio usque adhuc fuere, potestas vel etiam cura fuit, ut ab
*p. 160. ore insanorum amoveret *reprobationem contra sapientes, vel unquam impediret quin linguae malae verba mala dicant? Attamen omnino oportet eum qui bene vivere vult, in pulchra agendi ratione quae a prudentia timore Dei ornata decernitur, perseverare, in Deo ipso spem laboris sui omni tempore firmare et consilio suo attendere.

Itaque, vir beate, persevera in perfectioue tua ordine decenti. Nec ordo humilitati nocet, nec humilitas ordini nocet. Coniuga itaque ordinem principatus cum humilitate personae tuae. Misce humilitatem personae tuae cum ordine principatus, et rege cum humilitate ordinata principatum qui gratia Dei tibi creditus est. Expelle primum longe a facie mentis tuae cuncta verba inania et auditus insulsos, quos effutiunt et transmittunt quidam, ob virum illum insipientem qui in stultitia sua vagatur. Ne eos unquam auscultes, nec eis respondeas, nec eos aliquanti facias. Sive in consilio Dei sive in errorem hominum, nisi inveneris *aliquid* e

[1] P «Patri nostro».

thesauris gratiae Dei, qui in monasterium habitationis vestrae descendunt, non valebis quantum sit desiderium tuum. Nec quidem inde migrandi nec opera principatus neglegendi facultas tibi est. Verbum enim Dei, quod a nobis ministratur, tibi haec omnia vetat, tibi in haec omnia ius dat.

Ideo pulchre studeas ita agere, quemadmodum scripsi, in re senis illius insipientis supra dicti et in gubernatione principatus. Penes te, opinor, est Dei gratia fratrum obedientia et decet te eis gubernatione tua sagaci cuncto in labore vitae eorum commoda praestare. Quod si, absit! apud vos quoque polleat malum inobedientiae sicut *in aliis locis, tunc non mansuetudine tua solita, *p. 161. sed severitate utili utendum est adversus malum inobedientiae; iam ante te incedat ab hoc tempore et ulterius regula ista a me prolata : Cuicunque fratri, qui iussis tuis obsistet, ibi habitare et perturbationem media in pace habitationis vestrae excitare non licet. Si vero sit ei querela quae aequa videatur, putetque se laesum, verba mittat in mente pacifica ad fratrem nostrum episcopum vestrum, qui prope est, et si necesse est etiam ad me; et ita negotium eius emendationem suscipiet, iuvante Deo.

Legantur quae scripsi et scribo coram cunctis fratribus in coenobio, curentque cuncti consilium suum et ordinem vitae suae, in omni timore Dei et castitate, et quidem ante omnia de obedientia antistiti debita solliciti sint, quia ex ea est fons vitae cuicunque qui timore Dei in Iesu Christo Domino nostro vivere vult[1]. Omnis scissio et discordia et inobedientia e medio vestrum eiiciantur per castigationem Domini potentis, per castigationem Dei nostri. Currite ad spiritus concordiam et pacis vinculum, et ad obsequium promptum sine quo nemo Deo placere potest; et maxime currite, persequimini caritatem spiritalem, attingite eam et detinete eam totis viribus vestris et tota sollicitudine vestra, ut per eam crescatis «in mensuram perfectam aetatis perfectae plenitudinis Christi[2]».

Cognoscite quoque propositum meum bonum erga vos; nam illos quos exopto eximiam informationem obtinere in initio accessus eorum ad vitam spiritalem, ad vos misi. Si autem, absit! a vobis damnosum exemplum accipiunt *in mentis offendiculum aut *p. 162. in initium pravorum morum, malum periculosum vobis incumbet velut hominibus qui sibi et ceteris noceant. Cavete igitur et propter

[1] Cf. II Tim., iii, 12. — [2] Cf. Eph., iv, 13.

ea, fratres Deum amantes, de cuncto pulchro ordine, quem poscit institutio vestra, et de cuncta obedientia amica, quae fons est vitae spiritalis. Custodite non solum vobismet bonum depositum, cuius nomine signati estis, sed etiam ceteris qui exemplum virtutis a vobis comparare volunt. Date et mihi et cunctis ubicunque Deum timentibus materiem Dei glorificationi aptam omni tempore. Et ipse Deus misericors, qui potens est timentes eum omni gratia abundare facere[1], vos perficiat in omni opere bono, ut voluntatem eius omni tempore per omnes dies vitae vestrae faciatis, amen! — Explicit.

XVI. — Casto et Deum amanti Fratri nostro honorato Mar Hormizd, episcopo, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Accepi et legi quae scripsisti. Ob sanitatem tuam et sollicitudinem quam habuisti erga senem afflictum et Deum amantem fratrem nostrum honoratum Mar Babai episcopum, gavisus sum et Dominum nostrum laudavi. Ago gratias Caritati tuae quae donum huius generis ad debilitatem meam misit. Cui vero magis quam tibi conveniunt incitationes huius modi, ut viro pio sub meridie perigrinationis, Abrahae instar[2] alacriter obviam ires, eum e molestia ipsi ignota vi amica eriperes et sub quercum Mamre tuam demon-
* p. 163. strationibus laudabilibus quiescere iuberes? *Inde tanquam necessitate promissionis divinae debitum sempiternum apud Deum promissionum dominum possides, ut ab eo gloriae sempiternae retributionem tempore convenienti sumas. Tibi autem non sufficientibus caritatis divitiis, ut videtur, cupivisti me quoque procul incitationum tuarum socium habere, et commendationem eximiam in muneribus epistulae ad me misisti *scilicet* senem castum et venerandum, cum persuasionibus mitibus, quae a me mercedem[3] bonae voluntatis erga eum surripiunt, si quid boni pro eo in me omnino inveniatur.

Accepi nunc, o Deum amans, has incitationes tuas in conscientia bona, studeoque ut, iuvante Deo, me ipsum debitorem ponam quietis senis Deum amantis, in omnibus quae voluntati Dei placeant et exsequi possit vis meae vilitatis. Manifestum enim est sive velle sive operari unam ex huiusmodi rebus ab incitatione ipsa Dei

[1] Cf. II *Cor.*, ix, 8. — [2] Cf. *Gen.* xviii, 1 et seq. — [3] Legendum ܐܓܪܐ.

procedere, ut scriptum est[1]. Oret igitur Sanctitas tua, quaeso, ut Deus debilitati meae det robur sufficiens in viri quietem secundum voluntatem misericordiae suae. Quoniam vero Sanctitas tua scire cupivit, quid et quomodo erga eum agendum esse cogito, Deo annuente, ecce Caritatem tuam certiorem facio quod, si secundum exspectationem nostram iam proximo tempore ad provinciam nostram Pater noster Catholicus adscenderit, tunc nos omnes dicemus et faciemus quod utile est in quietem senis Deum amantis. Quod si Catholicus huc venire supersederit, tunc tempore verno ego ipse cum sene Deum amante ad Catholicum descendam, et quidquid Deus misericors per debilitatem meam pro quiete et solatio viri providebit, aequo animo agam, sicut nos agere iubet lex spiritalis. Utroque in casu orationi instet Sanctitas tua ut, quod coram *Domino nostro pulchrum est, a nobis perficiatur omni tempore ad gloriam nominis eius sancti, per cunctos dies vitae nostrae, amen! — EXPLICIT. *p. 164.

XVII. — CASTO ET DEUM AMANTI FRATRI NOSTRO MAR ABBA EPISCOPO, IŠŌʿYAHB : IN DOMINO NOSTRO SALUTEM.

Duas epistulas continuo alteram post alteram paullo ante e munere Sanctitatis tuae accepi, quae incitationibus laude Dei dignis plenae erant. Merito gavisus sum et Domino nostro gratias egi. Cum nondum tempus et occasionem et tabellarium invenissem ut Sanctitati tuae aliquid utile responderem, secuta est paullo post epistula alia Sanctitatis tuae, quae animo laeto moeste occurrebat. Itaque dolui, ut decet, et vicissitudinis promptae me paenituit. Cum *epistulis* prioribus et ultimae argumentum satisfaciens dare vellem, ministerii Domini res urgens me rapuit, atque sedem locumque mutare et e planitie ad montem iter negotii causa facere me coegit, ut pro ministerio Domini in parte septentrionali regionis nostrae sacerdotem electum et sanctum constituerem, sicut iam audivistis. Nunc autem, postquam in habitatione aedium nostrarum, Deo iuvante, redii, tabellarium fidum, eumdem qui missus erat, ad epistulam tibi portandam misit Deus. Curam aequo iure habui, ut Caritati tuae debitum incitationum tuarum erga me solverem, dum confiteor laborem sibi convenientem Caritatem tuam sumpisse dicendo aut scribendo necessario omnia quae huc illuc, id est his et

[1] Cf. *Philip.*, II, 13.

illis hominibus, locutus es et carpisti et correxisti et hortatus es et roborasti et incitasti et pro veritate et propter veritatem.

*p. 165. Sed sollicitudini tuae et oppressioni quoque *inobedientiaeque hominum ignarorum et stultitiae principum, stultitia hominis insani praeivit; et iam te illosque ab omni studio de se ipso liberavit. Dicunt enim qui viderunt, cum limites occidentales provinciae orthodoxorum transierit, virum illum stultum in civitate magna haereticorum a quibusdam istorum acceptum fuisse, eorum mysteriorum quemadmodum et fidei participem factum esse, sicut etiam *fieri sollicitus erat. In faciem eorum, qui pro eo zelotes erant,* iam spuerat, ut spuere decebat, si sane saltem nunc eos sputi eius pudeat. At dictum est [1] *etiam* de impudentia eorum quos pudere decet, quod si nunc non eos pudeat, tunc pudebit cum pudendi tempus erit. Quamvis ille errori et insulsae scientiae vanitatis se ipsum tradiderit quocunque modo, tamen si nobis sunt lacrymae, effundamus eas, orantes coram Domino nostro cum cordis supplicationibus, super stultos qui iugum ruperunt et vincula secuerunt, qui Dei mansuetudinem rebellione diabolica vicerunt, qui hactenus insensibiles manent et quos delectat exitium vitae suae. Dominus vi non usus est. Consilium bonorum non gratum fuit. Persuasio misericordium reiecta est. Sic sacerdos fuit ac populus et populus ac ille quem voravit ignis [2].

Quo igitur utetur Sapientia tua? Putasne auxilium fore, praeter quam in oratione, ut dixi? Oret Sanctitas tua, et rursus oret, ut Deus vi misericordiae suae sacerdotem insanum ex ore draconis antiqui et populum stultum ex ore serpentis qui primi mali caput fuit arripiat, ambosque in vita misericordiae suae ressuscitet Deus [3] et ad lucem scientiae suae adducat, ipsosque nobis tanquam no-
*p. 166. vum donum virtute creationis suae mirabilis concedat. *Nos omnes custodiat firmitas caritatis eius sine perturbatione in vita quae voluntati eius placeat per omnes dies vitae nostrae, amen! — EXPLICIT.

XVIII. — SANCTO DOMINI NOSTRI PATRI NOSTRO PIO MAR SABRĪŠŌʿ EPISCOPO METROPOLITAE, IŠŌʿYAHB : IN DOMINO NOSTRO SALUTEM.

Me olim, Pater noster venerande, epistula illa, quae te a morbo

[1] Cf. IER., VI, 15; VIII, 12. — [2] Cf. IS., XXIV, 2; OS., IV, 9. — [3] Loco ܕܐܠܗܐ lego ܐܠܗܐ.

corpus tuum debile affligente liberatum esse mihi renunciabat, medio in gutture mortis invenit. Cum vix os meum aperuissem et odorem lectionis huius *epistulae* olfecissem, salutem Dei opera precum tuarum recepi. Cum vero vi celeritatis sanitatis currere properarem, exarsit mors, et denuo in me ruit, ideo me vehementius tenuit et omnes homines Paternitatemque etiam tuam anxio rumore debilitatis meae interitum passurae afflixit. Sed postquam rursus ardore qui ardori mortis similis erat adversus mortem commoti sunt Pietas tua et omnes sancti Domini, iterum me hominem debilem e ventre suo evomuit mors et procul aufugit; et cum iam paratus essem ut nuncio sanitatis meae per paucas epistulae lineas Paternitatem tuam laetificarem, me aggressa est subito et rursus Paternitatis tuae epistula altera, quae me sufficienter certiorem fecit non solum de caritate praeveniente Paternitatis tuae erga vilitatem meam, sed etiam quod maior fuit erga debilitatem meam quam erga dolores tuos anxietas tua.

Ab hoc tempore et ulterius tanquam impetus imperiosus me coactum ad iter necessarium traxit, ille qui Paternitatem quoque tuam in medium iter adduxerat et constituerat. Optaverim et studuerim ut *Paternitati tuae ego ipse nuncius essem negotiorum *p. 167.
meorum. Tunc me retrorsum retulit adversarius qui occurrit. Nunc quidem me ad se attraxit potestas regni per viam fluvialem, te autem ultra transitum itineris mei ad aedes habitationis tuae remisit nutus Dei, ita ut mihi hae agitationes, Sanctitati vero tuae haec otia a providentia Dei erga nos merito disponantur. Cum hoc modo incitationem animi mei vicerint adversarii, et occursum praeparatum cum persona Sanctitatis tuae praeciderint, volui hac epistula te visitare quantum fieri potest, et certiorem facere de sanitate corporis mei et de labore peregrinationis quam peccata mea mihi imposuere. Ibo enim secundum necessitatem reputatam ut principem de his quae mihi scripsit persuaderem; secundum autem voluntatem meam, ut patrem nostrum Catholicum inviserem et eum quoque de his quae et ipse mihi scripsit persuaderem. In utraque causa peregrinationis est libertas multo maior quam vis necessitatis. Oret nunc Paternitas tua ut auxilium Domini nostri debilitatem meam in omnibus dirigat, ita ut celeriter procul ab omnibus probationibus cum gaudio personam tuam suscipiam et te in sanitate videam, prout Dominus voluerit. — Explicit.

XIX. — Casto et Deum amanti Fratri nostro honorato Mar Hormizd episcopo, Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Nunc etiam sicut omni tempore, frater noster, in te magis quam in aliis, ne dicam in te solo, invenitur perfectorum virtus, scilicet argumentum incitationum amicarum, cum omni tempori ius suum epistula et visitatione personali dat Sanctitas tua, non solum *p. 168. pro principibus *honoratis et venerandis et sanctis, sed etiam pro parvis et contemptis et passionum plenis debilitatis meae similibus. Ita nunc quoque, cum pro materie *epistulae* reditum meum in vitam corporalem sumpserit Sanctitas tua, sollicitudinem tuam amicam figurasti in epistula quam ad me misisti, et mihi patefecisti non solum tuam curam erga me, sed etiam capacitatem tuam in omnibus negotiis necessariis, et praesertim manifestationem tuam aliis superiorem in rebus quibus laus administrationis nostrae splendescit.

Gratias igitur benevolentiae Domini nostri, qui debilitatem meam possessione caritatis Sanctitatis tuae ditavit. Ipse in misericordia sua amplius det ut incremento omnium bonorum auctio tua cotidie augeatur usque ad perfectionem laude Domini dignam, qui ipse in gratia sua misericors debilitatem nostram corroboret, ut voluntatem eius faciamus omni tempore per cunctos dies vitae nostrae, amen! — Explicit.

XX. — Honorato et eximio et pio sacerdoti dilecto Domini nostri Mar Sergio episcopo. Išōʿyahb : in Domino nostro salutem.

Ingrati, opinor, dicendi sunt qui erga magnum debitum abundantiae caritatis spiritalis cum parva retributione se ostendere reputantur. Itaque ego ipse, o Deum amans, qui abundantiam caritatis Sanctitatis tuae in brevi tempore accepi, possedi et conservavi, vix hactenus per paucas lineas salutationis Sanctitati tuae obviam ire potui per longos dies, cum nihil retributione conveniente caritati Sanctitatis tuae dignum dari posse putarem. Sed bonum est ei, qui debitum habet et indigens est, ut per salutatio- *p. 169. nem humilem *foeneratori semper obviam eat. Accipe igitur, frater noster, parvum foenus caritatis tuae erga me nempe hanc salutationem, quae prima est, opinor, qua tibi annuntio Patrem nostrum Catholicum prosperrime se habere in honorem Ecclesiae Dei

secundum preces tuas. Nos quoque omnes abundantia auxiliorum Dei erga nos delectati cum laetitia *cordis nostri* laudamus providentiam eius in nos effusam. Gaudeat igitur Sanctitas tua de pace Ecclesiae. Ora ut in saecula servemur secundum promissionem Domini nostri. Ora quoque pro vilitate mea, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

XXI. — Ad optimum sacerdotum, exemplar virtutum summum pro sacerdotibus Dei, Patrem nostrum pium Mar Bar Ṣauma episcopum. Filius tuus Išōʿyahb, qui a longo tempore honorem Paternitatis tuae veneratur in fine aevi.

Aevum sane multorum annorum et vicissitudines multarum generationum transierunt exinde usque nunc, ex quo tempus non solum ab occursu personali Paternitatis tuae me cohibuit sed etiam impedivit quin, vel per lineas quae recordationes pacis tibi detulissent, coram oculis Paternitatis tuae interdum apparerem. Sed scio Paternitatem tuam quae ad me spectant cognoscere, et recordationes commendationis filiationis laudabilis custodire; sicut et ego etiam scio, quod scire me decet, quomodo honorem Paternitatis tuae in perfectione gloriae eius *ea filiatio* custoditat. Sed *iamdiu, quod decebat fieri a mea vilitate erga Paternitatem tuam, *p. 170.
nullo modo facere potui.

Primis quidem temporibus huius aevi, quod dixi, negotiorum causae moram genuerunt. Mediis autem temporibus et usque adhuc ea mora per semet officium, quod vilitas mea Paternitati tuae praestare debebat, distulit. Nec per epistulam, nec per legationem, nec per alium modum huius generis tibi me e longinquo ostendere potui, sicut decreverat gratia Dei. Nunc vero, cum haec *gratia nos ad* Catholicum invisendum apud Patrem communitatis Patriarcham adduxerit et tabellarii fidi a me inventi sint, volui tanquam a fine aevi *rursus* aggredi instaurationem vetustatis recordationum bonarum quae obsoletae erant.

Nunc Paternitatem tuam certiorem facio prae sanitate mei ipsius de sanitate corporis sancti fidei verae orthodoxorum, quod *corpus* paullo antea periculo aegritudinis ab antistibus perturbatoribus affligebatur. Cum vero e caelis ad direptores fidei suae verae prospexerit Dominus, quosdam quidem morte placida e vita damnosa solvit; alios autem ictibus poenarum e vita procaci distraxit; alios

vero in fines occidentales provinciae fidei pravae expulit et eiecit; alios rursus ruina spei summae infamavit et silere iussit, et fidei verae gloriam convenientem dedit. Et non amplius unitas hypostaseos in Christo Domino nostro inter nos sicut hactenus serpsit sive scripto sive verbo, quia Christus Dominus noster vindicavit iniuriam veritati suae *illatam* virtute humiliata divinitatis suae per extensionem manuum principis pii quem media in Ecclesia sua instituit, clamore valido qui coram nobis omnibus editus est, cum
*p. 171. *is princeps* crucem *dominicam in sanctuario ipso Crucis dominicae, in civitate Seleucia super manus suas sanctas sumpsit et vindictam perturbatorum Ecclesiae et corruptorum fidei verae ab eo, qui super crucem dominicam salutem mundi decreverat, expetebat instanter cum clamore valido, et nobis omnibus « amen » dicentibus.

Non multo post orationem eius, omnia haec fuere quae breviter indicavi. Et ecce nunc in laude Dei exultat debilitas mea cum illis omnibus qui Dominum nostrum Iesum Christum sine corruptione amant, amen! Gaudeat igitur Paternitas tua de eventibus actis, gratiasque Domino nostro de eis agat, et oret sedulo pro praesidio Patris nostri et pro prosperitate eius continua in omni re qua gloria Christi perficitur. Oret etiam pro vilitate mea, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam. — Explicit.

XXII. — Ab Išōʿyahb, honorato et amanti Deum, et fideli vero non baptizato, Fratri nostro dilecto Mar Šeroe : salutem in Domino nostro.

Ego, frater, opinione paullum mutata paullo ante incitatus, legationem culpationis ad Sapientiam tuam misi per legatum tarde incedentem, qui vix post annum elapsum ad me rediit et mihi attulit non [1] responsionem legationis per legationem, sed culpationes in corpore immortali verborum, hoc est, per epistulas Sapientiae tuae. Haec est enim natura rerum incorporalium huius modi ut,
*p. 172. quando eae cum corpore *coniunguntur, naturam sane immortalem suscipiunt; ita sunt verba. Cur igitur, cum per naturam fluidam et non coercibilem ego ad Sapientiam tuam legationem culpationis miserim, a te mihi revertit corpus immortale culpationum vehementium, quae per violentiam gradatim progredientem usque ad

[1] ܠܐ ante ܝܗܒ poscit contextus.

violentiam elongationis a timore Dei evertunt hominem imbecillum qui sum? Tunc non me decet, sicut culpatis mos est, de demonstratione scilicet rei non actae curare, sed repente et ante omnia imbecillitatem confiteri et veniam rogare in paenitenti conscientia. Quapropter condonet benevole Sapientia tua mihi peccatori transgressionem in huius modi peccatis omnibus, et si non in omnibus, saltem in iis quae condonare facile est. Facile enim est condonare viro qui hamo extraneo attractus est et in erroribus inscius captus est, sicut Sapientia tua scripsit, quia gloriati sunt adversus nos homines quidam. Non autem facile est nec etiam decet condonare ei qui perversitate immoderata bonos summos ad iniquitatem summam convertit. Scriptum est enim[1] : «Ille malus est malorum pessimus qui bonos in malos convertere potest.» Itaque aberrationem meam, quam multis modis descripsit Sapientia tua, condona humiliter quasi supplicanti doloribus obnoxio.

Etenim non tanta ira dignus sum, opinor, si hamo a Sapientia tua dicto adhaesi, qui mihi promittebat omnia mihi deficientia : nominis enim et honoris episcopi metropolitae, quae nondum possidebam, acquisitio me alliciebat, ut scis, seu, si non ea : saltem pax urbis vestrae et concordia eius civium; seu, si non etiam istae, saltem purificatio ab hariolis et mundities a * vatibus, Chaldaeis *p. 173. perturbatoribusque (?), et liberatio integra huius *urbis* a corruptis corruptoribusque fidei et a culpatis culpatoribusque vitae purae et honorabilis Christianorum. Ne igitur Sapientia tua multum vituperet me, qui studio harum rerum attractus fui et hamo supra dicto me ipsum tradidi, et maxime cum hami institutor et director est vir eximius in quo omnino confido.

Quomodo haec omnia contemnere potuerim ego qui his omnibus egebam? Aut quare Sapientia tua iubet me non aemulari, nec invidere tota vi mea, nec cupiditate flagrare, nec desiderio capi, nec vincula ferrea quibus hic ligor rumpere, ut ad vos alis carnalibus volem et apud vos ipsos habitem, cum video honores continuos et divitias immensas et operationem corporalem spiritalemque, quae e caritate et potestate vestra avolant transeuntque cotidie super caput nostrum et commorantur apud hominem debilem, qui a vobis episcopus metropolita vester appellatur et scribitur et dicitur, et propterea sublimiter effertur cunctis eum videntibus invidendus?

[1] Cf. *Eccli.*, XI, 33 (?).

Ne igitur me virum debilem vituperet Sapientia tua, qui huiusmodi desiderio captus sum et me ipsum tantae imprudentiae tradidi, ut etiam amicorum meorum oblitus sim et inimicos meos non discreverim in omnibus agitationibus malis quas epistula tua dicebat.

Et nunc quod peccatum confessus sum, Sapientiam tuam omnino parcere decet, sicut virum eximium qui debilitatem humanam novit. Mihi vero condonari non licet [1], ut supra dixi, nec a te nec a Deo, id solum quod exacta probatione tua et viri tui similis iudicatum et stabilitum et scriptum est : « virum pium et principem
*p. 174. *pietatis, qui in doloribus animae et spiritus vobis duobus patrem aliquando se ostendit, nunc autem toti populo Domini pater vitae immortalis et caelestis fons potestatis sacerdotalis est, a me ipso neglegentia prava in vitam pravam odii detrusum esse, ita ut adversus filios viscerum suorum per contemptum ira dignum proterve ageret ». Super huiusmodi virum damnosum, qui sum, post huiusmodi conversionem nefandam venia miserationis tuae effundi non debet, nec a te nec ab oceano misericordiae divinae : sed eius iudicium reservetur in hanc diem quae dicta est. Sibi suadeat Sapientia tua tantum ea condonare quae condonanda sunt, et benevolentiae tuae multas gratias agam.

At cur in illum, cuius faucibus hamus prior adhuc inhaeret et qui quocunque male trahitur, tu denuo per epistulam et legationem hamum alterum iniecisti, e necessitate in necessitatem vehementer trahendum, maxime cum hamus tuus ipse hactenus gutturi aliorum infixus erat, quo illi ita illaqueati sunt, ut apud te prompti erint in *spem* immoderatam condonationis et acceptionis, sed vacui discesserunt, sicut novisti et novi ego quoque, cum neque ipsi spe sua gavisi sunt, errore decepti, neque Excellentia tua validis promissionibus victa est? Quomodo igitur tu nunc denuo eumdem hamum in eumdem virum iniicis? Quomodo rursus ego nunc, si e priori hamo aufugissem, altero simili tuo facile capi possem? Vel, si Sapientia tua nolit hunc tuum dici hamum sed spem veram operum eximiorum, tunc ad quid utilis est tibi mediator in huius-
*p. 175. modi rebus vir stultus *qui palam operibus vituperandis incumbit? Qui enim tentatorem facili flexione tentare vult, quando ei quid mali accidit, nullam veniam meretur. Desistat ergo Excellentia tua

[1] Pro : ܠܐ ܕܝܢ ܐܘܦ ܕܡܫܬܒܩ ܠܝ exspectes ܠܐ ܕܝܢ ܐܘܦ ܕܬܣܟܐ ܠܝ.

a labore huius modi. Et si neque illud neque hoc, sed revera vitae aeternae cupidinem habes, et cum ea id quod illam antecedit, nosce prius virum insipientem, qui hamos huiusmodi vestros non facile cernit et eos qui apud vos silicet contra vos sunt. Nosce me paullum sicut ego te paullum nosco. Cogita et pro certo habeas res apud nos aliter se habere quam Sapientia tua in epistula interpretata est secundum opinionem suam. Accipe cladem nostram cum gloria debita donec alter alteri obviam ibimus prout voluerit Dominus, quando iam non promissiones et minae spe mendaci vincent, sed cum virtute gloria a Deo laudabiliter coniungetur.

Quod si nunc Sapientiae tuae placeat sollicitatio nostra et accipiatur rogatio veniae pro peccatis nostris a benevolentia tua, consocia quoque in sollicitatione pro nobis virum tui similem ut et ipse talibus sollicitantibus condonet, qui contra voluntatem vestram continuo efficiunt opus stirpe pulchrum, quod a patribus Sapientiae vestrae et ceterorum praedecessoribus praedictum est, ita ut apud eum quem decet maneat victoria ultima. Si quid aliud colloquiis verbalibus, quae verbis respondebunt, a nobis audire vult Sapientia tua de rebus quae nobis scripsisti, audi paullum ex illis paucis quae ad virum tui similem scripsimus[1], et ex iis et illis honos Excellentiae vestrae per sollicitudinem nostram splendebit cum gloria ei congruenti. Dominus noster Iesus Christus mox perficiat vos in uno animo pro uno corpore *vivificante, amen! Et nos com- *p. 176.
munitate spei laudis vestrae in eadem confessione mox consociemur ad gloriam Dei, amen! — Explicit.

XXIII. — Ad Išōʿyahb, ad Filium meum dilectum et honoratum Mar Iohannem : salus Domini nostri.

Vix post moram plurium dierum ad me reversus est vir incomprehensibilis, cuius super linguam ego breves lineas culpationum scripseram et quem tibi et viro tui simili[2] distinctione scrutatoris insignito miseram. Reversus est autem multarum culpationum mihi asportans tomum qui, quamvis abundantia vituperationum longus sit, tamen exempla opinionem meam de te indicantia non perfecte continet. Notae sunt enim materiae sermoni cuicunque aptae, non solum quae sermoni sunt subiectae, sed etiam vis et

[1] Alludit ad epist. sequentem. — [2] Agitur de epistula superiori.

forma et species categoriarum logicarum, quas vos scilicet philosophiae laudatores *συλλογίσμους ἀποδεικτικούς* nominare soletis. Per syllogismos sane laus artis logicae verum a falso secernit, ne analogiis speciosis vobis gloriam mendacem sophistice surripiatis ab hominibus ignaris qui sumus. Si enim in necessario et possibili et impossibili, declaratio (*ἀποφαντικός*) vestra ad numerum magnum praemissarum (*πρότασις*) adscendit, ita ut omnimodo veritas rerum requisitarum res haud conspicuas detergat, quanto magis etiam in tua contradictione (*ἀντίφασις*) praesenti contra nos, decebat te circumscriptione (*προσδιορισμός*) partiali seu etiam
*p. 177. generali utentem, ad paucam commiserationem erga nos *allici multis demonstrationibus (*ἀπόδειξεις*), quas adversus nos in epistula haud philosophice finxisti, et vi imperita pulchritudinem laudabilem quae ad nos pertinet abiecisti.

At, cum Sanctitas tua non arte officii sui solita, id est, ordine philosophico usa est, ut perfecte sciamus nos veritate et vi logicae condemnatos esse; neque rursus demonstratione ordinata nobis familiari usa est, ita ut causam ante effectum sicut genetricem ante infantem ponat, seu affirmationes de re, sicut vos dicitis, post rem ponat, sicut verbum post nomen et praedicamentum (*κατηγορία*) post subiectum, ut in ordine acceptabili culpationes adversus nos exponeret: congruum fuisset nos omnino de scriptis dubitare, ni tabellarius fidus ea attulisset. Sed, ne inopiae causa contemptores videamur, ut inopes contemnere solent, audi pauca ex tuis *syllogismis*, qui concludunt necessario in ipsis conclusionibus quia concludunt in causis.

«Necessario» enim est ei qui e necessitate habet potentiam ut possit operari id quod proprie, in quantum potens, per essentiam possidet. Et rursum, potentissimus est ut exsequatur proprie necessitates sui ipsius, ille qui necessario in potentiam facultatis suae dominatur. Ex utraque igitur *ratione*, quarum altera cum altera confunditur secundum ordinem inversum vestrum, apud nos omnino decet ut possit esse id, quo a cunctis hominibus necessario agnoscimur, in concordia appellationum simplicium per sensus simplices et omnibus communes. Merito igitur ex aequitate vituperandi essent illi qui a nobis e necessitate possibilitatis vituperandi dicti sunt; non autem merito liceret nobis e contra, e desti-
*p. 178. tutis huius modi possibilitate *vituperationes stultas in protasi improvida positas reponere.

Si rursus in impossibilitate possibilium tanquam sub materiam qualitatis demonstrationis ordinatur id quod hoc modo ordinatur, sive in eo qui utramque rem accipit, aut rursus in eo qui neutram accipit, et exinde ad tentamen superius currit *ordo*, scilicet ad *tentamen* materiae possibilis et operabilis, tunc quis syllogismum talem non confiteretur indoctum et contemptu dignum esse?

Inde sane decet impossibilitatem omnino a te reiici, non solum quia ex ordine sophistarum malorum est eius demonstratio sed etiam ob vim apodicticam contextus orationis et conclusionis. Et eo etiam *reiicienda est*, quod tibi non fas est, o eximie, concludere[1] ubi concludere tibi visum est. Tibi cavendum est a tentamine imperito in huiusmodi praemissas (προτάσεις).

Sed rursus nos decet, opinor, philosophiam vestram honorare, quae a te tam contempta est. Ad modum nostrum simplicem in rebus nostris nos descendere, et nominibus haud philosophicis nos materiem epistulae tuae, per modum quidem epistulae secundum usum nostrum, at ratione philosophica secundum usum vestrum, philosophice tractare congruum est.

Quinque igitur sunt materies criminum epistulae tuae ad nos missae, o caste : primo quidem veritas; secundo autem opinio; tertio error; quarto inopia; quinto mendacium. Et eis omnino congruebat, a castitate tua utpote a tanto viro, distinctio categoriarum similium, ut possemus nos aut quasi veritati assentire, aut quasi opinionem corrigere, aut quasi errorem *avertere, aut quasi in- *p. 179.
opiae misereri, aut quasi mendacium redarguere. Quia vero Excellentia tua ordinem huius generis non continuo secuta est, sed ista modo inordinato et cum cupidine tantum incusandi obtrectandique descripsit, si quidem materie inopiae solum coacta est aliquid tantum e veritate sumere, multum autem opinione et errore attrahi, et maxime mendacio ipso recreari; idcirco non etiam decet, opinor, nos nunc et in hac epistula tales distinctiones constituere et ad philosophum urbanum mittere, nos ignaros et ruricolas. At eodem inordinato modo modeste dicemus : multis materiis inutilibus tuam epistulam ad nos te ditavisse, o caste. Si sollicitudine tua digna tibi videtur esse notitia earum, laboribus cogitationum tuarum non autem demonstratione nostra acquiras eam.

Animi vero, qui in gloriam rerum praeclararum dominatur, infir-

[1] Pro ܚܬܡܘ lego ܚܬܡܬܘܢ; cf. p. 177, l. 18.

mitas est ad cogitationes miseras descendere et increpationibus inopibus impedimenta refutationis opponere. Sed quia non ita fit ut, quemadmodum ignaris non licet magnam comprehensionem eruditorum assequi, eruditis quoque non liceat opinionem imperitorum cognoscere, nos decet extremo puncto digiti minimi linguae etiam alimenta horum *imperitorum* inquirere, ne ab obtrectatoribus in aliqua re inveniatur aequa materies vituperationum. Quapropter, quamvis longitudo epistulae multum protrahi debeat, necesse est a nobis persuasionem correlativam dari postulationibus tuis imperfectis, quae tibi pretiosae videntur esse et ad nos in epistula missae sunt. Iis ita obviam ibimus tanquam coacte, sed
*p. 180. quamvis coacte non tamen nimium *imperfecte. Non enim facile est multum abbreviare, quemadmodum non facile est multum amplificare. Cogemus ergo paullum mentem senescentem in postulationes iuveniles paullum se demittere, ne forsan, opinione neglecta, nos a iuvenibus Atheniensibus hodiernis in inopiam convertamur.

Dicebat quidem epistula tua in primo et pretioso capite : «Virtutem operis dulcis et nominis nobilis id esse quod est anima mundi et naturarum vi operationis suae constitutivum, appellatione vero simplici caritas dicitur et est», et ea *caritate* me maxime implendum esse docebat epistula tua. Adversus hoc autem ego Dignitati tuae indico caritatem sine odio caecam et ideo reiiciendam esse. In causa quidem sua partialis et simplex, in usu autem suo duplex geminoque sensu praedita est, et pulchritudo compositionis eius odio constituitur non per comparationem sed per subiugationem. Necesse igitur est illum qui caritatem pulchre possidet, eam perfectam, id est, cum odio mixtam possidere, ita ut non e persona summam operum sed e specie operis eius personam amore prosequatur. Fons enim caritatis est odium : si non multum admiraris[1] et si opus turpe in iis qui caritatem tuam habent, non odisti, naturam caritatis perverse prorsus invertere debebis, virtute in vitium mutata. Non decet igitur petere ex illis, qui caritati credunt, corruptionem pulchritudinis universalis. Et sane in ea quicunque non constituitur, si quicunque non odit quodcunque caritati nocet. Eam ergo revera nos quoque tenemus, cum per odium pulchritudinem eius ipsius ducimus; et id ipsum secundum opera et tempora et consuetudines et vicissitudines et mobilitatem et decus et turpitu-

[1] Lege ܐܢܬ ܡܬܕܡܪ; pro ܐܢܬ, lapsu typothetae stat ܐܢܐ.

dinem et cetera similia, *quae Sanctitas tua una repulit; ita ut non personas tantum sed etiam virtutem ipsam misericordem amare debeamus, quae a personis misericordibus cum vicissitudinibus continuis possidetur. Ita quoque agit Deus, qui nomine huius *virtutis* se ipsum nominavit. Ita quoque quicunque caritatem vi intellectus sui possidet. Ita quoque rursus Excellentia tua nunc egit, si velit intelligere quae fecit. Et ita maxime natura caritatis ipsa constitui et dissolvi solet. *p. 181.

Hoc igitur considera pulchre, frater noster, quod talia nunc scribo, cum opinioni, quam tibi contra nos expromere libuit, in tempus perverse assentio, id est caritate transformemur vel nobis *necesse sit eam melius possidere*. Mea quidem non refert excusari aut suadere, reis enim et illis qui opinioni calumniatorum obnoxii sunt hoc curae est; sed, dum iis assentio quae contra nos effudisti, per te ipsum Sapientiae tuae persuade te frustra effudisse. Si vero tu personam solam vilitatis nostrae amabas, cum in ea nulla esset materies amatu digna, ab una parte quidem male egisti quia malum *virum* immerito amasti; ab altera autem bene egisti quia legem *Christi perfecisti*. Eodem quoque modo tibi exosos amare debes nullam retributionem rogando. Si vero penes nos erat materies amatu digna quam tu amaveris, me quidem non amasti, sed virtutem ipsam amavisti, et propterea a me ipso retributionem petis! Quod omnes virtutem amemus est debitum necessario naturae insitum, et quanto magis amamus, tanto magis id debitum solvimus. Frustra igitur tu legem naturae et Domini naturae repudias. Etiam *addidisti : «Ei mutuum dedi, sed non remunerationem accepi.» Et hoc optime tibi accidit, si contra legem Evangelii cum spe remunerationis mutuum dedisti[1]. Sed non ob defectum remunerationis *id accidisse* forsan dices, ut iam dixisti. Cur vero imprecaris? At rursus scito, caste, argumentum validum defectus caritatis hoc esse, quod qui eam promittit se eam possidere proclamet. Forsan iuramentis terribilibus egeres, nisi totus mundus tibi testis esset. Si nunc, te tacente, operum natura pro te clamat multorum ore : «Pulchre amas quem amas, ut fortasse cum multis *aliis* et ipse quoque testis tibi sit», cur iam pulchritudinem tam laudabilem probro inopiae imminuis et eximium bonum perdis, «quo vivimus et movemur et sumus[2]»? At multas *p. 182.

[1] Cf. Luc., VI, 35. — [2] *Act. Ap.*, XVII, 28.

correctiones huius modi postulat tuum caput primum. Linquatur tamen *hoc capitulum*, quia nimium imperfectum est propter epistulam.

Quid ergo est secundum *caput?* Elongationem nimiam pro quibusdam et proximitatem nimiam pro aliis epistula tua a corde Catholici[1] petebat. Petebas, immo vero imprecabaris *dicens* : omnipotentem non debere esse illum, qui «Omnipotentis[2]» nomine ab omnibus appellatur, sed partialem et pro quibusdam solummodo esse. Et quales vos hactenus estis sic manere vultis. Sed scito, caste, viro communi cogitationes communes congruere, sinus amplos menti eius necessarios esse, et manus multas oculosque innumerabiles intellectui eius necessarios esse. Animo invincibili violentiam calumniarum hominum potenter superare debet vi
*p. 183. *auxiliatrici, dum pendet pro omnibus paribus variabilibus parem omnino immutabilem in concentu cum Evangelio Pauli[3], quamvis tu et aliquot homines apud vos vestri tantum esse Deum petatis; et non solum hoc, sed etiam irascimini ad instar Israel carnalis, quia et Gentium Deus vocatur. Nonne tibi placeret, o caste, si res sineret, pro tota urbe in qua degis patrem dulcem et regem pacis te esse? Et si hoc fieri non posset, tibi nonne placeret totam vim ratiocinationis tuae et subiugationem passionum tuarum statuere in pugnam pro ea *urbe*, donec eam ad pacem interiorem adduxeris? Vel, si hoc etiam non possibile esset, nonne tibi placeret auxiliatores plurimos tibi esse sapientes in tempore, qui pacem paternam in hac urbe pro te stabilirent? Et si haec tibi non placent, per orationem *ad Deum* potius quam per verba persuasionis cura de te nobis habenda est. Si autem haec tibi placent, quemadmodum placere debent, cur incaute vituperas illos qui hoc modo solliciti sunt, maxime cum de universali negotio agatur. Et si post malam operationem vestram et aliquot hominum vestrorum, Sapientia tua magnitudini tantae sollicitudinis imprecari velit, sicut imprecatus es, memento illius vineae quae in Isaia[4] et illius quae in Evangelio[5] est, nec amplius impreceris; sicut et nos memores sumus solaminis ad prototypos *dicti* adversus eos qui nos non recipient et verba nostra non audient : «Cuivis quies erit die iudicii potius quam illis[6].»

[1] Pro ܩܬܘܠܝܩܘܣ, lego ܩܬܘܠܝܩܘܣ݂. — [2] Seu «omnipotens in Ecclesia» ut auctor ipse explicite interpretatur nomen *καθολικός*, infra, p. 190. — [3] *Cf. I Cor.*, xv, 28; *Eph.*, iv, 6 (?). — [4] Is., v. — [5] Matth., xxi, 33; Marc., xii, 1; Luc., xx, 9. — [6] Cf. Matth., x, 14-15.

Quid rursus ex tuis? Recordationes bonae officiorum *multorum quae in me die naufragii iniecistis, cum ventus typhonicus Euroaquilo dictus[1] mare placidum amicorum agitaret, et vos in cymba sedentes et natantes in mare fortiter irrueretis, virum debilem e gutture abyssi erepturi et ad portum vitae placidae mirabiliter reducturi. Sic quidem ego vestra cano, et homo malae conscientiae sum, et intellectum caecum mihi esse dicendum est, si etiam illos, qui parvum intuitum bonum oculorum suorum tunc in auxilium virtutis iecerunt, tempore quo libertatem uniuscuiusque manifestari iussit Deus, ego in magna parte theologiae scripto et verbo non ordinaverim. Sed Sanctitas tua hoc tempore, satis dedecoravit, ut opinor, virtutem quam vobis plus quam ceteris tribuit Deus tunc in tempore probationis. Dedecus re vera dici debet petitio retributionis pro operibus eximiis huius modi. Itaque adversus petitionem tuam dico : non retribui, non retribuo et nunquam retribuam; etiamsi saepissime peteres, petitione tua non persuadebor. Quod si nimia paupertas defectu huius retributionis tibi accidat, ego tibi eam solvam die illa quae dicta est, hoc est, Dominus diei *tibi solvet*. Ex hac quoque *petitione* nunc exili, et mei tu bene memento, quando exinde tibi accidet, ut viris qui te consolentur per epistulam egeas. Cur ego ab hoc *officio* abstinens opprobrio hodierno in epistula tua *manifestato* dignus sim, nescivi quidem et nescio, nisi forsan de hoc quoque obiurgari debeam, quod nescio quae ignota sunt. Si recordationem rerum, quas specie consolatoria tibi homines quidam scripsere, sumis *nunc contra me tanquam argumentum quod consolatione tunc indigebas, sicut iam fecisti, scito, caste, parvo errore te tunc surreptum fuisse, te et etiam virum tui similem. Gratias providentiae Dei, quod deceptores vestri non diu permanserunt, alioquin facile tracti essetis ad foveam illam, ad quam ego quoque aliquando tractus fui. Me enim et caritas suffocavit, si tamen ita loqui decet, et necessitate ipsa victus sum, ut ita dicam, et satis est. At scitote paullum, si bene vultis scire, et pro certo habetote et credite vos furibus praesentibus praedam facilem fore, si tales homines amatis et cupitis me quoque talem ac eos fieri. Absit ut vobis placeat servitus hominum liberorum; mihi quoque non facile est libertatem consuetudinum mearum perdere, quam precibus continuis[2] et stu-

*p. 184.
*p. 185.

[1] Cf. *Act. Apost.*, xxvii, 14. — [2] Pro ܨܠܝܬܐ, lege ܨܠܘܬܐ.

dio annorum acquirere potui. Ex hac igitur *petitione* quoque nunc exili.

Narrationem petitionum sequentium, utpote quae a prima materia deducuntur, relinquo nunc sine refutatione, non solum quia increpationem refutationis vi connexionis supra susceperunt, sed etiam quod cuicunque manifesta est earum falsitas et refutatione haud dignae sunt. Solummodo mirationem et quasi anceps dubium movent utrum ob inopiam mentiuntur homines in rebus manifestis an ob audacem impudentiam? Si ob inopiam, mali sunt; si ob audacem impudentiam, stulti dicendi sunt; si autem ob utramque, in condemnationem contemptus tradendi sunt; et iam satis.

Rursus vero. cum divisione mendacii uteretur Sapientia tua, tanquam vir misericors, contemptum et fortasse etiam scissionem consensus, ut in patriarchatum ille qui olim in gloratione patris
* p. 186. *distinctus *erat* a te institueretur, a me repetebat zelus tuus sublimis. quia per virum contra quem irascebaris missus erat. Oporteat igitur secundum legem tuam ne unum quidem ex bonis corporalibus spiritalibusque nos accipere ab homine quolibet quia quilibet homo contemnitur ab aliquo contemnendo, ne dicam etiam omnipotentem et omnia recte regentem dementia quorumdam hominum contemni. Nos vero, in hac re sicut in ceteris, assentientes contemptui quo a te contemptus est. dicimus defectui memoriae tuae : Memento, caste, quomodo non solum e spinis rosa et ex humo aurum et cetera, sed etiam e serpente mortifero remedium vitae facere solemus, ne dicam per serpentem rationalem et fratres suos occidentem vivificatores multorum nos aliquando suscitare potuisse et etiam posse. Sed et divisioni mendacii sufficiat flatus verborum paucorum.

Caput vero amarum et luctu dignum et mutationibus affligentibus sagittisque letiferis plenum, quod figuris terribilibus contra[1] par hostium tuorum instruxisti et ad instar *pugnatorum in finem* reservasti. ob nimiam commotionem ex eo captam legere sane non poteram. Sed tremens tabe sensuum contractorum, et contrementibus mandibulis, dicam tantum : Beatus es, si tam fisus sis, sicut scripsisti, ut Maremmeh et Išōʿyahb inter homines, et Catholicus et metropolita inter patres, par iniquorum huius modi, tibi sint inimici persecutoresque secundum hallucinationes epistu-

[1] Pro ܠܘܩܕܠ lego ܠܘܩܒܠ.

lae tuae; et alter ab altero, et uterque ab alio, scilicet ego a viro miserrimo, et a me ipso vir honoratissimus corrupti sint, ideo ut inimici tui fiant. Iam tempus est ut prope adducas *machinas *p. 187. tuas, sicut audivi te iam fecisse : primo contrā causam mali, hoc est, contra virum miserrimum et aedem miseram et corpus miserum. Et, cum istum prius dirueris tanquam fortem turrim, tunc ad me belli instrumenta vertes. Postea progredieris continuo adversus eum qui a nobis corruptus est, sicut tu dixisti.

Haec pluries sequebatur in fine epistulae tuae derisio superba contra nos tanquam contra homines qui contemnendis artificiis a te illusi erant et per artificia Sapientiae tuae ignominiose impediti erant quin urbem ingrederentur, honorem receptionis obtinerent et opera utilia perficerent. Confitemur quidem, confitemur te *id* fecisse et conata perfecisse, non solum erga nos inimicos tuos praesentes, sed etiam erga eum qui nos praecessit et amicus tuus magnus fuit, et quem immo in epistula ad nos nunc missa in commemorationibus sanctis episcopatus inscripsisti. Et de hoc tibi gratias agimus, quamvis tu hoc invidia in nos egisti. Nos vero hoc solo gaudemus quod, quanquam illum adhuc viventem contemptu tuo honoratum ex urbe tua expulisti cum antistite qui te unxerat, alterum quidem ad fatalem mortem, alterum vero ad mortem gladii, post tamen illius mortem et huius discessum, nunc illum quidem sanctum et memoria dignum appelles, hunc autem patrem et antistitem scribas. Idcirco nobis sperandum est fore ut, cum mortui aut remoti erimus in commemorationibus bonis nostri memor sis.

At, o eximie, quamvis implacabili exacerbatione contra nos flagres tanquam contra homines miseros, memento tamen paullum illius qui dixit : « Sine fiducia est qui nimium confidit. » Parce paullum linguae animaeque tuae. Verte te paullum ad intellegentiam gradus tui. Ne nimium spernas neque nimium contemnas. *Sed Do- *p. 188. mini memor esto et gratiam eius lauda quod tales viros inimicos tibi videri sivit. Cave multum ne paullo ulterius salias, ne forte incaute super rupes stultitiae cadas. Inimicos igitur tibi esse patres ecclesiae, et quales patres ! scribis tu, quem ob tempus recens vitae spiritalis tuae iam novae nimio amore diligere debent secundum naturam patrum spiritalium, quae iura consuetudinum suarum vindicat ! Inimicos vobis esse scribis viros quibus daemones solos odisse licet ! Inimicos tibi esse scribis viros qui pro anima tua *vigilant secundum* legem pastorum

spiritalium! Inimicos tibi esse scribis viros qui a Domino pacis missi sunt, ut pacem et caritatem Patris eius remotis et proximis in orbe praedicarent! Inimicos esse tales homines scribis, et manus tua non tremuit, nec calamus tuus turpiter cecidit, nec cor tuum commotum est, nec vultus tuus mutatus est, nec lux diei occultata est, nec aer in limpiditate sua tibi turbatus est! Si haec tibi non fuere, et reapse non fuere, tacebimus nos etiam tanquam miseri, dum obstupescimus de facinore immoderato; recordabimur, quamvis non exemplum reale sit nobis, sed comparatio tantum verbalis, illius qui peccatum mundi suscipiens mundo contemptus est; et Deum laudantes contemptum tuum, o vir miser, sustinebimus. Sed decebat et etiam decet et etiam decebit nos altitudinem opinionis tuae evulgare, quidvis contra quidvis, immo magis quam quidvis, immo multo magis quam quidvis, ita ut forsan accidat te ad modum pulchrum venire, qui a bonis
*p. 189. *hominibus* *prudentia vocatur. Scias quoque, quamvis hoc te non doceamus, te divagatione cogitationum incautarum multum desipuisse et in fontem qui suavitatem spiritalem effundit pedem turbantem immisisse. Quomodo igitur et undenam ab hoc tempore tibi contingat quod praestantius accidit pueris: si quidem pueri naturae necessitate a patribus suis nutrimentum accipiunt.

Sed abrumpo nunc subito sensum quo hucusque pro beatitudine supra dicta aliquid contrarium tibi rescribendum postulat vis epistulae tuae; attamen ego non scribam, rescindatur quidem etiam hoc ab altera, et solummodo tibi amare maledicam prout postulat regula ordinis nostri, et absolvam epistulam tuam assentiendo opinioni tuae de nobis, optans ut tales ac nos sint inimici tui et omnes qui in te malo animo surrexere aut surgent, nec pes tam malus ac noster a domu tua recedat, usquedum inimicitia mundo evanescat et caritas in homines regnet in regno Dei, cui gloria in saecula saeculorum, amen!

Quod si in exhortationibus verborum nostrorum persuasionem utilem inveneris, per eam suade etiam virum tui similem, qui tecum nobis scripsit. Si autem haud suasoria tibi videantur quae suasimus et ut veniam petamus tibi necessarium videatur, ecce petimus veniam alacriter et humiliter in epistula ad fratrem tuum missam, ut aut venia aut etiam persuasione caritatem a vobis duobus acquiramus, secundum voluntatem Domini, qui in misericordia sua

corroboret debilitatem omnium nostrum, ut voluntatem eius omni tempore per cunctos dies vitae nostrae faciamus, amen!

XXIV. — *Ad virum qui ab ipso et a catholico vocatus erat, sed, *p. 190. cum in episcopatum se requiri putaret, ire recusavit et excusationem vanam scripsit.

Sine nomine necesse est nunc ad te scribere, o optime, et ne ita quidem scribere decebat ad virum huius modi. Ab illo enim, qui ob magnam perfectionem suam in sapientia et caritate extra fines legis spiritalis gloriose manet, merito avertit lex spiritalis scripturam solitam; sed congruentiam necessitas superat, ut tibi scribam prout necesse est; eis quae ad me misisti primum responsurus, tamen de rebus ad patriarcham spectantibus paucis verbis disputaturus, si sane disputationem tantum meretur superbia immoderata.

Immoderatum quidem est pedibus impiis cogitationum gloriantium fontem abundantem humilitatis divinae turbare. Turbatur enim, et quomodo non *turbaretur,* cum tanta oppositione a sapientia reputata obiurgatur, et hoc non solum, sed etiam cum ordo sapiens insipientiam esse docetur. Deinde severitate iniqua exprobratur ille qui a probris continuis nimiae humiliationis nunquam liberatus est nec ut liberaretur curavit; et hodie vero a sapiente reputato, qui procul augurans de modalitate rerum quas nondum vidit nec probavit, condemnatione inexorabili dignus factus est, et qui, cum rursum excommunicatione barbara excommunicationem regularem et legalem contempserit, memoria excommunicationis barbarae *merito celebris fuit. Mirandum quidem *p. 191. est, si cum toto impetu culpationum incautarum, ne barbarum quidem a legali secernere potuerit sapiens reputatus et testimonio probatus, sed molem vituperationum incautarum solummodo effinxerit, et scribam humilem propter petitionem occursus amicalis miserit.

Ex his rebus pulchre collegisti aequo in tempore refutationem erroris multis loquelis editi, quem ego iam dudum frustra infixeram in conscientia benevola patriarchae. Nunc autem is sufficienter correctus est sollicitudine tua pro ipso, nec exinde facile errabit velut hactenus, putando de te secundum loquelas hominum aliquid modalitati essentiae tuae contrarium. Exinde talis manebit qualem

menti tuae *significavisti*, hoc est vir praestantissimus. Sed cur in rebus ad me spectantibus repertus es alius quam specie ostendebaris, et theologicam quamdam ostentationem specie excusationis stabilivisti, quam ad virum a te probatum misisti, cum quod requirebatur non pulchre consideraveris?

Memento nunc, caste, quemadmodum vir ipse amicus tuus sciat a specie scriptorum vim scriptorum secernere, seu, cum vi scriptorum speciem quidem scriptorum coniungere, aut e contrario utrumque tenere, hoc est vero, enudare. Et cur igitur tu nunc *talis* ad me *talem talia scripsisti*, et ante loquendi tempus loquelam intempestivam specie multae petitionis finxisti et ad me misisti? Si vis, opinor, a nobis te cognosci ex eo quod nobis scire fecisti, scito te a nobis contrarium cognosci illius quem a nobis cognosci cupis, scilicet vanae gloriae et cupidini laudis subditum. *p. 192. Multum *minuimus ex excellentia opinionum de te hactenus *vigentium*. Ne ob duritiem ulules, quemadmodum iam sane ululasti immerito in rebus ad patriarcham *scriptis*, satis est nos solummodo tibi sic demonstare quid tibi necessarium sit; et iam satis.

Non aptus es, optime, non aptus es ad id quod videbaris et opinabar te aptum esse. Non solum respectu ipsius ministerii sed etiam respectu virorum ad ministerium minime aptorum, *respectu* scilicet nostri, non aptus es. Si tibi sic lubet, noli amplius in rebus huius modi laborare, vana philosophia utens sicut iam fecisti, ne aberres neque putes e demonstratione perfectionem aut e recusatione indicationem oriri. Multo quidem superbiores sumus quam tu teipsum reputas; nec in istis post alium secundos nos esse volumus, quamvis tu in rebus huiusmodi *temet multum extendas*. Decet te memorem esse, si oblitus eris, quam nobis facile sit pro firmitate in rebus Deo placentibus mori.

Scito hoc quoque, quod in hoc ministerium, quod reiicere tibi pulchrum esse videbatur, cuiusque causa etiam sub potestate Satanae esse tibi placuit, sicut scripsisti, antistitem idoneum Dominus dabit, si tu in sorte praedecessoris Matthiae poni excellentiam sapientiae tuae velis[1], quasi fortasse non ita grave esset malum. Amotio vero sempiterna non solum a dura obedientia viri et immobilitate firmarum eius consuetudinum, *quemadmodum cognoscis*

[1] I. e. «cum Iuda sortem habere».

virum quem patrem tuum vocabas, sed etiam a canone divino et paterno de hoc constituto, tibi patienda est.

Pariter hoc etiam te scire decet, usquedum per minorem opinionem et humilitatem sensus, quae *ab omnibus ordinibus eccle- *p. 193.
siasticis principi administrationem ecclesiasticam *curanti* debetur, eo veniat Excellentia tua, ut credat id quod tu iussus es, non autem id quod opinio tua optat, a te faciendum esse, tu a vinculis sacerdotalibus, quibus sub alis[1] Satanae te nunc positum esse scripsit Sanctitas tua, liberari non potes nec poteris, si Dominus voluerit, donec scias Altissimum in arrogantiam superborum dominari ita ut quem vult humiliet et quem vult super hunc exaltet.

Custodi igitur tu magnitudinem opinionis tuae de te ipso cum inobedientia aliena ab ecclesia Dei, et nos superbiam opinionis tuae de nobis in conscientia humili secundum voluntatem Dei patiemur. Ne labores ad nos rursus scribendo, quia non accipiemus nec legemus vanas nugas. Dominus in viam veritatis suae te ducat, et valeas!

XXV. — Ad fidelem quemdam, de obitu fratris eius.

Audivi, frater noster, opus roboris in naturam communem, iussu Domini naturae, pulchre dominantis, quod dicitur et est mors, nunc pro more fratri nostro Išōʿrahmeh accidisse, qui ad vitam futuram decessit apud patres et fratres et omne genus defunctorum et, ut simplicius loquar, illuc ubi nos omnes ocius aut serius declinaturi sumus et, ut melius loquar, ad mundum et locum et vitam pro quibus creati sumus. Sed scio quoque, cum cognitione omnium istorum, tibi pro more fortasse accidisse quod in talibus casibus accidere solet, hoc est, te discessu amici tui contristari. Sed revertere et bene recole, frater noster, Deum *sa- *p. 194.
pientissimum esse, qui has res in natura nostra a principio ordinavit.

Quamvis multa hac de re dici possent, ego tamen nunc unum solum verbum ad te et ad quemvis multoties clamabo, hoc est: Deus ipse, o homines, naturam nostram cum amore indicibili creavit dirigitque. Infinita est abundantia gratiae eius erga nos, et mutationibus mirabilibus auxilia in naturam nostram copiose effundit usque ad similitudinem naturae suae. Omnibus aliis praeter-

[1] Pro ܐܒܪ̈ܘܣ lege ܐܓܪ̈ܘܣ

missis, hoc solum pro cunctis sufficiet, quod e vita mortali ad vitam immortalem opera brevis temporis, morte scilicet, nos transfert Deus, a servitute peccati tyrannideque daemonum eodem tempore nos liberat, et vitam iustitiae libertatemque aeternam ante portam mortis prodigio vere divino ordinavit.

Quis ista intellegit et solita moestitia commovebitur? Quis promissionibus Dei confidit, et dolor e morte natus cursum cogitationum eius ob infirmam spem dubii perturbabit? Quis vero passione amoris vitae vincitur et non optabit nec possidere cupiet vitam vita meliorem, cuius super introitum, super mortem scilicet, timor fictus impositus est? Sed stultis sic esse videtur mors, prudentibus vero eruditisque mors pro immortalibus eadem res est ac pro mortalibus partus matris, et forsan potior aliquo modo est mors quam partus. Illa enim in silentio quietis aufert, hic vero in fletu doloris affert. Illam postea non sequuntur miseriae, huius gaudium etiam dolor est. In illa vir contra fratrem suum non irascitur, sed etiam evanescit ira vetus; in hoc autem etiam manum homicidii extollit homo adversus fratrem suum, et aliquando facinus perficitur, ut a
*p. 195. *Cain perfectum est. Quid igitur hoc amarius est? Aut quid dulcius inter dulcia quam id quod tales amaritudines e corde fratrum auferre potest?

Non quidem facile est scribere aut etiam cominus verbo dicere quanta sit potestas mortis in bonum, etiam in tempore ipso quo affligens ea videtur esse. Scrutare bene te ipsum, frater noster, et invenies hodie conscientiam quae paullo ante male turbata erat, nunc optime paenitentem de operibus paullo ante actis; et cor, quod fumum odii fraterni evomebat, nunc igne amoris fraterni flagrans; et domus unicae negotia quae avulsionibus odii scissa erant insolito modo dividenda, nunc amplexibus amicalibus in unitate domicilii placidi coniuncta; et domicilium quod etiam paullo ante Satanas feroci dissidio perturbabat, nunc vides peotes, et tecum videbunt multi, cum Deus in eo in pace misericordiae suae regnat. Si ea quae patres spiritales corporalesque et fratres auxiliatoresque spiritales corporalesque efficere non potuere, mors sola efficere potuerit, potior est ea quam quodcunque, etiam eo ipso solo quod nunc affligens videtur esse. Et si eius afflictio tam magna est, quanta vero et quot sunt bona post eam ventura, ad quae ut perveniat quivis mente praeditus sperat?

Si insani dicant : «Decebat qui obiit vita terrena satiari et dein-

ceps mori », tum quae est satietas amoris vitae pro hominibus vitam amantibus, nisi quando *haec vita* in vitam immortalem per mortem mutatur? Et si non satietatem vitae sed prolongationem[1] vitae petunt insani, quid commodi est e prolongatione *vitae, *p. 196.
nisi prolongatio peccatorum et prolongatio morborum corporis mutabilis? Sed forsan curam filiorum et nepotum vindicabunt insani, et se sapientiores et misericordiores ostendent quam filiorum datorem et vitae dispensatorem. Qui talia audet, in parte brutorum ponatur, ne dicam eum os blasphemans et cor perversum possidere, et cum daemonibus cruciatu dignum esse.

Tu vero, amice meus, qui bene cognoscis Deum et bene cognosceris a Deo, qui tibi fratrem dedit quamdiu sibi placuit et a te eum abduxit quemadmodum sibi placuit, lauda pulchre gratiam Dei erga te, et imple os tuum omni tempore gloria sancti nominis eius. Expelle e corde tuo dolorem affligentem, qui in natura debili e discessu amicorum oriri solet. Cogitationem amantem fratris, quae nunc in corde tuo ardet, in filios dilecti tui verte, et exinde ne sint fratris filii sed tui filii. Ne sinas eos sentire sibi non esse patrem. Monstra omnibus, et operibus et verbis tuis, Deum tui curam habere et de bonis tuis sollicitum esse. Cum talia ages, non solum animam tuam vivificabis et me laetificabis, sed etiam cunctis te videntibus causa eris glorificandi nomen sanctum Domini tui. Ipse vi misericordiae suae omnem moestitiam e corde tuo amoveat, et gaudio e munificentia sua sumpto te impleat; illi qui veste adoptionis filiorum opera baptismi mystici indutus cum fide migravit, nunc quietem in portu Sanctorum det, et in die probationis gratia sua eum ab omnibus maculis purificet, quae in natura humana surgere solent, et qui cum Sanctis suis se delectet dignum reddat; te et omnes, quibus a providentia divina datum est tuis curis committi, custodiat sine damno ab omni *malo; vos abun- *p. 197.
dantia auxiliorum suorum omni tempore impleat et corroboret, ut voluntatem eius faciatis omni tempore per cunctos dies vitae vestrae, amen!

XXVI. — Ad Maremmeh Catholicum, de sollicitatione discedendi.

Hac septimanae die quarta, quae initium mensis šebaṭ (*febr.*) est, in media die ad me pervenerunt duae epistulae a Paternitate

[1] Pro ܐܘܪܟܐ, l. 29, legendum est ܐܘܪܟܢܐ.

tua : altera per Ukama, puerum nostrum, et altera per virum e pago Bēth Magōš. Protinus hanc responsionem expedivi pro celeritate quam postulabat epistula posterior Paternitatis tuae. Brevissime scribo, quia in negotiis praesentibus magnam remotionem video, quae mihi discessum omnino necessarium indicat, non a Domino, absit! nec a conspectu illorum qui videntur vel sunt boni et mali capaces, sed a materie ipsa negotiorum vexantium, cum paullatim multa signa multique tumultus offendentes invicem succedunt. Alterutrum nunc agendum est : aut remotione vera discessum liberum efficere aut curatoris modo adversus mores pravos impetum aequum ostendere.

At sciat Paternitas tua, quod scire voluit, mihi non placere et forsan non etiam coram Deo gratam esse mutationem illam, cuius causa scripsit Paternitas tua, etiamsi revera non minor sit quoad divitias apud nos reputata regio illa, quae antistitem vilitatem meam poscit. Si Dominus velit discessum ex hoc loco omnino fore, pulchrum est, opinor, me alios rursus non probare, sed habita-
*p. 198. culum liberum tenere me solitarie prout Domino *placuerit, et sic reliquos dies paucos agere, qui mihi hoc in mundo a Domino nostro dabuntur. Quidquid est, firmiter spero apud Paternitatem tuam me venturum ad ieiunium sanctum; sed Paternitas tua antistitem idoneum iis qui petunt in pace faciat.

Violentia facinoris tibi noti motus hoc etiam scribo ad Paternitatem tuam : Cave bene de persona illa quae dicta est, et maxime cave et semper cave, ne te tanquam rei actae[1] moeste paeniteat. Nobis sufficit dolor a Sahdōna ortus, cuius tristi haeresi adhuc foedamur. Si vero, cum istum quasi minimo digito offenderimus, tantum pus in nos effudit, quanto magis, si in oculum ipsum capitis corporis communitatis sponte nostra spinam notam et expertam figamus, dolore incurabili misere cruciari omnino non deberemus? Et forsan cum multis accusatoribus ipsi etiam angeli Dei nobis irascentur, quia, quamvis angelus e caelis sit, ut ita dicam[2], qui id Paternitati tuae suadeat, fortiter increpatus a facie Paternitatis tuae ultra recedat.

Populo qui te amavit et quem amavisti, qui iam quoque electioni a te *faciendae* fidem suam commisit, da cum delectu Dei virum

[1] Ad litt. : «quasi ex opere manuum»; est locutio biblica. — [2] Alludit ad *Gal.*, 1, 8.

qui in tempore nostro praestantissimus est. Si senex honoratus qui illic *est* nolit verbis suasoriis assentire, velit vi coactiva, sicut unusquisque nostrum id voluit quod non volebat. Et si statutum erit a Paternitate tua, pro iis omnibus cum eo, et pro eo cum iis omnibus, nullum alium ipsis fore nisi hunc, ii iubebunt eum etiam nolentem, et consentiet ipse etiam invitus; at, donec spe alium obtinendi trahentur sicut nunc, *nec is consentiet nec ii eum consentire *p. 199. iubebunt. Amove ergo eos a viris remotis et vilioribus, et de eo propinquo et eximio curam habebunt. Et si omni modo et omni necessitate, quaeque sit, transeat verbum ultra senem illum praestantem, verte mentem tuam ad Mār N... nostrum, non quod eum non tantum noverim quantum tu eum novisti, sed quod eum tantum noveris tu ipse quantum eum novi, scilicet in rebus fidei et morum et staturae et habitus, et verbi moderati tempori et personae congruentis.

Inspice bene horrea Domini tui, et da cibum qualis invenitur; si non eum ipsum, saltem fratrem nostrum N..., qui nulla re requisita caret, quamvis ego rursus pauper et privatus fiam eo pauco quod pridie possidebam. Et ut breviter loquar, ultra offendicula experta verbum tuum fer, et super bonos, qui in casibus probatis probati sunt, illud repone. Parce animae tuae et animae debilitatis meae et animae omnium orthodoxorum offendiculum illud, ad quod animum tuum direxerunt homines quidam huius *viri* ignari. Memento paulisper quoque inobedientiae quae modo tibi occurrit in Occidente, etsi sperabas ut prospere te haberes. Quanquam prospere te habuisti auxilio Domini nostri, a Domino enim est omnis gratia, attamen tibi et forsan quibusdam aliis timor domesticus fuit. Et, si ob virum qui talis est, talia tibi acciderunt, quanto magis ob eum qui ne talis quidem est, plus quam talia, id est peiora, accident et tibi et mihi et nobis omnibus. Affer igitur negotio maximo vigilantiam maiorem, tentationi expertae fugam optimam, et populo caro donum pretiosum.

Quamvis res urgeat, qualitas personarum supra dictarum scribi et illuc mitti debet; et quamvis tempus maius *a negotio postuletur, *p. 200. tempus longius quam tempus dari debet. Potior enim est non existentia, quae mala est, quam existentia mala. Potior est inopia exspectata quam plenitudo desperationis. Memento ante omnia et in cuncto tempore auxilii Dei qui comitatur Sanctitatem tuam, qui cotidie opus directionis tuae sufficienter prosperum reddit, et cuius

mirabilium altitudo e profunditate humiliationis tuae eximie splendescit ad gloriam omnium nostrum. Ipse nunc etiam negotio coram te posito det in misericordia sua perfectionem praestantem per manus tuas secundum consilium voluntatis suae, amen!

Ipse etiam timorem episcopalem qui illi viro inest facile solvat virtute providentiae suae in alacrem occursum Paternitatis tuae et in decus honoremque Ecclesiae suae sanctae, amen!

Mihi quoque det gratia sua, ut de cunctis laboribus Paternitatis tuae gaudeam, et operatione prodigiorum optimorum gloriarer, quae per manus tuas ad gloriam Dei in ecclesia eius sancta per cunctos dies vitae tuae ministrabuntur, amen!

Fratres qui mecum sunt Paternitatem tuam venerantur. Salus mea fratribus caris qui Sanctitati tuae ministrant detur. Ora pro me ut misericordia Dei dignus sim, et te quoque invisam, quemadmodum paratus sum.

XXVII. — AD IOHANNEM QAṬARAEUM : EXHORTATIONES AD OPERA BONA.

Accepi et legi quae scripsisti, et de sanitate tua et demonstratione tua praeveniente caritatis erga vilitatem meam gavisus sum Dominumque nostrum laudavi. Voluerim mihi proxime accidisse occursum personae tuae cum praeparatione hospitali, ideo ut rerum quas tu opere praeceptis Domini nostri congruenti agere coepisti, sicut multi praedicant, te memorem verbo facerem ego debi-
*p. 201. tor verbi *Domini nostri, si sane verbis opera ipsa indigeant. Sed, priusquam hoc dignus sim secundum voluntatem Domini, id tantum nunc scribo : Postquam sensisti et vidisti bonum esse Dominum pro eo qui eum exspectat et pro anima quae eum expetit in levamen oppressorum et iuvamen afflictorum et liberationem subiugatorum et exemptionem subiectorum et sacerdotium sanctuariorum divinorum et quietem decusque sanctorum Dei et in cetera huius modi quibus studere fidem tuam aiunt multi, tum persevera vigilanter in virtutibus tuis cum vigore intellectus. Multo enim astutior est fur antiquus divitiarum huius modi quam fures debiles arte momentanea incapaces, qui divitias mundanas dolis erroris surripiunt. Quapropter vigilantia multo maiore quam quae ad opes mundi istius spectat indiget omni tempore vir amans Deum. Esto ergo vigil et sollicitus de utraque *opulentia*, o amans Deum, tanquam vir utramque possidens, et opulentiam timoris Dei opulentia mun-

dana semper auge, usquedum hanc illa absorbeat et a terra ad caelum evehat. Opulentiam vero terrestrem opulentia timoris Dei colligat et ipsam dispergat, donec utramque cum consensu praecepti Domini nostri capies[1] et in horreis caelestibus depones, ut immutabiliter dives fias in vita futura.

Audivi rursus animum auxilio Dei te habere humilem, qui virtutem invincibilem e beatitudine Domini nostri ad possidendam *terram vitae cum fructibus incorruptibilibus* obtinet[2]. Custodi igitur commodum boni tui virtute auxilii Domini nostri, et dita pulchre terram seminibus spiritalibus, ut ex ea fructus aeternos tempore aequo metas. In oratione persiste, ne ministerium *Domi- *p. 202.
ni te eiiciat. Lectio verborum Spiritus sit tibi panis cotidianus. Passiones cupidinis corporalis sint subiectae voluntati tuae in timore Dei. Operatione virtutum spiritalium imple thesaurum animae tuae, ut crescat in te robur fidei Christi Domini nostri coram omnibus populis praesentibus antecedentibusque, et sis materies sancta ad laudem nominis eius sancti in omni tempore per cunctos dies vitae tuae, et iuste dignus fias promissionibus caelestibus ad gloriam regni eius adorandi, in saecula, amen!

Te salutant omnes sancti qui apud nos sunt. Valeas semper Dei gratia, amen!

XXVIII — Ad Hormizd episcopum : de Sahdōna.

Cum nondum vobis manifestus esset adventus Sahdōnae, et finem et modum adventus eius iam vobis exacte nunciavi per omnia. Sed quia credere non voluistis, ecce Satanas Sahdōnam ipsum palam adduxit et inter vos posuit, secum libros alios habentem, quos rursus contra fidem orthodoxam nostram composuit et in quibus manifeste et multoties Paulinianos nos vocat, nos omnes qui doctrinam veram *naturarum Christi in dualitate* hypostaseon praedicamus, secundum confessionem nostram primordiam et aeternam. Non ergo Sanctitati tuae opus est a testibus extraneis qualitatem viri cognoscere, sicut olim scire cupiebas. Nunc enim ad te scripto et verbo clamat : «Haereticus es si non unam hypostasim in Christo confiteris.» Qua vero fiducia nunc rursus ad gubernationem nostram venit vir iste ob fidem pravam et animum *tam superbum *p. 203.

[1] Cf. Matth., vi, 20. — [2] Cf. Matth., v, 4.

fletu dignus? Difficile est id scribere, quamvis peritis manifestum sit; sed quia novi stultitiam viri et eum intellectu fideque destitutum esse, et quia puto eum fortasse a quibusdam doctoribus malis edoctum esse alieno et intempestivo modo loqui, prout saepe ad vomitum suum rediit, addo hoc etiam, ne nos quoque stulti simus, in mente nostra desipiamus, et nomen bonum laudemque a Deo impertitam perdamus, quando ne parva quidem necessitas libertati nostrae imponitur. Ecce enim stupemus quando adhaesionem[1] pravam legimus, quam aliquot ex priscis hominibus fecerunt in pravam concordiam, et id quidem quando impetus regius eos abripiebat : quantum igitur propter nos[2] stupescent coaevi et posteri, si nos sine necessitate veritatem nostram consensu pravo perdiderimus. Caveamus ergo et rursus caveamus et maxime caveamus.

Si enim e perversitate manifesta ad negationem artificii mali Sahdōnam insanum adducerent doctores protervi, vos eo propelleret res, ut sponte vestra errorem contemnendum committeretis, ne pudore vos afficiant libri insulsi Sahdōnae per assensum fidei eius pravae. Si rursus accidat ut libros ipsius clam custodiant doctores protervi : ecce ipsi vobis et inter vos sunt testes fidi qui oculis suis eos viderint, nobis quoque testes fidi sunt, quomodo cum iis contra fidem eorum in terris Romanorum disputaverit, eos Paulinianos fautoresque dualitatis Filii vocaverit, quemcunque non unam hypostasim in Christo confitentem alta voce audacter et vehementer anathematizaverit, et multa alia huius modi *dixerit*. Et
*p. 204. cum ii ipsi, *quibuscum disputabat, eum interrogavissent : «Si vero haec est fides tua, cur ad regionem Persarum is?», respondit ipse cum superbia fida : «Eo quidem fidem eos edocturus.» Ecce venit sicut promiserat, et iam nostrum est doctrinam eius accipere vel non accipere. Si debemus sine perturbatione et animi amaritudine talia audire aut dicere aut scribere aut legere, protinus hoc in loco sermonem abrumpam tanquam miseria captus. Miseri enim in veritate sumus, cum de viro vili et intelligentiae experte scribere et loqui et dolere cogimur. Hoc tantum addam : vos episcopi, vos orthodoxi, vos doctores, vos sapientes, vos veritatis columina facti pro Ecclesia Dei, servate nunc huic Ecclesiae sanctae depositum veritatis, in qua baptizati estis et baptizatis et

[1] Pro ܡܫܬܐܠܡܢܘܬܐ, lege ܡܫܬܠܡܢܘܬܐ; cf. p. 205. l. 12. — [2] Pro ܡܢ legendum ܒܢ.

ordines accepistis et ordines confertis; e medio huius *Ecclesiae* corruptorem veritatis vestrae impetu zeli vestri compellete.

Etiamsi, absit! nec fiat res, nec fieri liceat, nec fieri Deus sinat, evenisset tempus quo electi errabunt, tamen Sahdōnam insanum non decet erroris caput esse pro hominibus prudentibus et intellectu *praeditis. Non illum* errorem dico, quo praetextum erroneum sequentes palam errant aliquot homines errorem fidei eius perversae aperte confitentes, sed de errore agitur, quo praetextu correctionis et concordiae in veritate deceptorem in communione sua accipiunt, dum medio in eo insidiantur error et dolus eius. Ita erraverunt viri in concilio Nicaeno et post concilium Nicaenum. Acceperunt primum fautores Arii et deinde Arium ipsum, donec eos omnes artificiis satanicis e sedibus ipsorum eiecerint, et fidem veram corruptionibus multiformibus vitiaverint. * Si sane *p. 205. providentia utili hoc non accidisset, nec deceptores ipsos ob concordiam dolosam in fide vera Ecclesiae accepissent ii qui nomine et officio episcoporum fruebantur, Ecclesiam Dei ne laedere quidem potuissent sicut fecerunt. Et similiter rursus ad quam altitudinem gloriationis cum laude fidei pervenerunt Orientales omnes, priusquam Cyrillum praetextu correctionis et pacis acceperint : et in qua humiliatione et contemptu et contumelia et necessitudine et in quantis lacrimis et gemitibus fuere, postquam Cyrillum praetextu correctionis acceperint illi qui, cum ipsis virtus veritatis per adhaesionem errori datam erepta fuisset, postea se invicem et Patres suos et fidem suam anathematizaverunt! Pauci tantum ex ipsis aufugerunt, quibus effugiendi locus inventus est in exilio et morte! Harum rerum mementote, o beati, et bene scitote ab omni malo, quod extra Ecclesiam eiectum est, nunquam Ecclesiam Dei laesam fuisse, et ab omni malo, quod praetextu acquisitionis [1] et correctionis in Ecclesiam Dei introduxerunt, Ecclesiam Dei et corruptam et laesam esse, ut novistis. Ne itaque inutilem reddamus scientiam, quam nos comparare sivit Deus, per tentamina varia quae in priores incesserunt.

Sed rursus sermonem meum ob taedium abrumpo. Sanctitas tua reapse id perficiat, cuius scribendi ipsi mihi erat materies; nec vero propter me aut propter quemvis alium de ministerio sollicitus sis, cuius causa te vocavit Deus, sed propter illum solum

[1] Forsan legendum ܡܬܪܥܝܢܘܬܐ «consensus».

qui *te vocavit*, a quo solo retributionem in iustitia recipere debes. Et si propter personam vilem debilitatis meae aliquid plus facere velles per te ipsum et per Patres sanctos qui tecum sunt, exem-
*p. 206. plum est **eximium*, quod a Patribus bonis invenimus.

Ego etiam, quod in propria persona tibi scripsi, iis quoque scripsi, et cur iis in nomine non scripsi, *hoc factum est* quia mihi non responderunt de his quae olim ad eos scripsi, et quia tu solus intellexisti et responsione dignum me iudicavisti. Si velit Sanctitas tua eos consociari in lectione huius epistulae, sollicitudini tuae gratias agam; et iis quoque gratias agam, si curent ut quae scripsi legant; et maxime vobis omnibus gratias agam, si vobis curae sit aliquid facere, quod vos in laude a Deo impertita insignes reddat. Ipse quidem Deus gratia sua debilitatem nostrum omnium corroboret, ut zelo pro veritate eius et omnibus operibus bonis voluntati eius placentibus excellamus per cunctos dies vitae nostrae, amen!

Fratres sancti qui apud nos sunt te salutant, et caritatem Paternitatis tuae specialiter venerantur parvi discipuli debilitatis meae quorum salutem in epistula tua retribuisti. Detur salus mea omnibus iis qui tecum Domino nostro serviunt, et ora pro me.

XXIX. — Ad Hormizd episcopum : de zelo in operibus ecclesiasticis.

Cum pro more excelsa nomina Creatoris naturarum ad humiliationem vilitatis pulveris nostri cotidie trahimus, quando alter alteri lineis epistulae respondemus, sine periculo res nobis videtur esse; sed sitne sine periculo, cum de quocunque verbo ratio reddenda est in illo die qui dictus est? Attamen ex his multis, quae Sanctitas tua adversus me cotidie blasphemat, ego quoque
*p. 207. *nunc in uno tantum adversus te blasphemare volo; quia in epistula tua ad me nunc missa zelum temporibus praesentibus superiorem vidi : Utinam dicereris, in tempore experti criminationis pulchritudinis mentis, capax omnium rerum quas vis; vis quidem omnino eas quae tam bonae et utiles sunt. Esto semper perfectus in iis usque ad fiduciam coram *Domino nostro in die revelationis eius*.

At ego tribus diebus ante adventum epistulae tuae epistulam scripseram ad Sanctitatem tuam et per fratres nostros miseram propter ea quae scribere necessario debebam. Quia confido ut ii ad te pervenient quando Domino placebit, nunc aliud addere non

opus est. Sed quia a tabellario qui epistulam tuam mihi adsportavit audivi : patrem nostrum Catholicum in coenobio S. Simeonis versari et fatuum Sahdōnam apud *eum* adesse, vosque omnes nempe vestrae provinciae episcopos ad ipsum esse venturos, hoc solum ad Sanctitatem tuam scribo non rogans, ut antea solebam, sed monens, ne quidpiam in causa Sahdōnae nobis inconsultis agatis, ne quod agetur in huius modi negotiis sine communi consensu in perniciem sanctae Ecclesiae cedat, neve, patre nostro Catholico vos advocante, sine nobis in eadem causa *quidpiam statuere* cupiatis. Satis nunc est me ita solummodo scribere ad Sanctitatem tuam. Confido enim ut sufficienter cognoscas quae necessaria sunt. Fac igitur omnia pro sapientia tua, et Dominus noster sit tuus auxiliator. Ora pro me.

XXX. — *Ad episcopos provinciae Bēth-Garmai : de Sahdōna. *p. 208.

Imminens metus, o beati, me cogit nunc vobis scribere quae scribere nolebam. Ut autem ista scribere cogerer, plures tentationes quae antehac acciderant me docuere. Pauca igitur de pluribus scribam. Dudum scilicet, cum ad vos venissem, intellexi, et postea istud ipsum audivi, Catholicum ad vos frequenter scribere; et nunc rursus accepi eumdem propediem ad vos esse venturum, et has epistulas et hunc adventum Sanctitati vestrae persuadere velle, ut Sahdōnam ad Dei Ecclesiam vi reductum recipiatis, Sahdōna ipso et Dei Ecclesia nolentibus. Sahdōna enim non vult : si quidem modo ne temporaria quidem adhaesione a rebus averti se persuasus est, quas male et proterve dixit scripsitque contra veram fidem, sed nunc perstitit in perversitate fidei suae et anathemate fidei nostrae blasphemiisque in nos pleno ore effertis, infirmo fultus praesidio urbis, quam Satanas Ecclesiae ereptam illi tradidit; et nullo modo communionem Dei Ecclesiae nunc petit. Neque rursus Dei Ecclesia unquam voluit nec modo vult in suam communionem illum recipere qui eius fidem anathematizat et eius dogmata depravat et personas eius blasphemat. Cum itaque nec Sahdōna *ingressum* in Ecclesiam quaerat, neque Sahdōnae ingressum Ecclesia optet, non intellego quanam cogitatione urgeantur qui se hac cura onerarunt scribendi aut legendi aut loquendi aut petendi ingressum hominis huius indolis.

Quidnam porro, *o beati, Sahdōna intentatum reliquit, ut *p. 209.

nobis probaret a nostra religione se alienum esse, eo ut hoc nunc efficiens credatur alienus et segregatione dignus? At quisquam fortasse Domino nostro et Paulo mitior nobis obiiciet illud septuagies septies[1]. Sed, o beati, haereticis statuitur terminus et quidem satis cognitus; neque vulgare delictum est crimen contra fidem. Etenim Dominus quidem per oculum dexterum et manum dexteram et per celerem utriusque sectionem[2], eius qui fidem depravat abscissionem circumscripsit; Paulus vero, Domini interpres, prima et altera vice haereticorum segregationem definivit, subdiditque statim causam celeris rescissionis, ut qui nempe non ignoraret futuros nos ipso mitiores et meliores, eumque proinde de festinato iudicio sine misericordia incusaturos; et idcirco ait[3] : «Scitote quod qui huius modi est subversus est et delinquens, et suo iudicio est condemnatus.» Age vero, quando apostolicae legi stare nolimus, praestitutum septuagies septies numerum evoluto quinquennio iam longe excessimus; et ut hoc praetermittam, quod ego seorsim, quemadmodum et singuli vestrum seorsim, multoties illum corripuimus, ea tantum quae in conventibus synodicis et Catholico praesente acta sunt, commemorabo. Octies siquidem Sahdōna Ecclesiae fidem suscepit, eorum errorem in universali synodo anathematizavit : ter quidem propria cum subscriptione et sigillo; quinquies vero confessione oris coram synodo; et totidem vicibus ad suam impietatem reversus est, velut canis ad vomitum; quando nec ipse defecit negando et confitendo, et rursus quod confessus fuerat abiurando, neque nos vicissim defecimus illum semper sus-
*p. 210. cipiendo cum labore *stulto. Postremum vero videns Dominus, qui per Paulum locutus est, stolidam nostram commiserationem a multiplici Sahdōnae inconstantia minime superatam fuisse, in eum cum contemptu flavit disiecitque procul, ad partes nempe haereticorum, ubi ille Beelphegor initiatus est omnibus nequitiae modis pravae eorum communionis. Plures libellos blasphemiarum plenos adversus nos, nostram fidem, nostrosque doctores in omnibus heterodoxorum synodis scripsit tradiditque. Cumque ipse nullam ad pravitatem suam indicandam omiserit rationem quin eam in publicum proferret, eumque Deus et Dominus noster Iesus Christus procul a re publica incolatus nostri abegerit, tum illum nihilominus misso nuncio adduximus adversus Dei nutum et adversus

[1] Cf. Matth., xviii, 22. — [2] Cf. Matth., v, 29. — [3] Tit., iii, 11.

suam ipsius cupidinem. Venitque ille praedicans a Ierusalem usque ad Illyricum nostrum [1], id est coram throno catholico orthodoxorum, professus se venisse ut nos ad suam fidem traduceret. Cum autem nos invenisset quales invenit, despexit nos et ad locum abiit quo abiit, ad populum nempe pauperem, quem diabolus ab ecclesia distraxit et ipsi tradidit. Illud vero magis mirandum est, quod post haec omnia flagitia, cum Sahdōna e propinquo contempserit Catholicum, et eius fidem, et honorem et communionem, illumque cum despectu reliquerit et ad populum suum se receperit, nunc pro illo ad vos scribatur ut eum revocetis, velut quibus potestas est illum revocandi; libellus etiam vobis mittatur continens ea quae ab illo subsignari oporteat, et vos ipsi scribatis revocationem eius urgere, seu adventum Catholici cunctari oportere.

Unum itaque post haec restat, ut si vobis nunc Sahdōna aliquod assensus specimen praebeat, sicut saepius praebuit, continuo admittatur ad sanctorum communionem. At hic *ego gratias ago Sahdōnae, divinae potius dicam providentiae, quod ipse prorsus renuet assentire, ut solebat. Secus intra sanctam Ecclesiam modo habebimus venerabilem episcopum, cuius libris universus orbis plenus est adversus fidem nostram conscriptis, in quibus nos Pauliniani et duorum Filiorum assertores appellat; et quidem dudum ille nos nec episcopos nec orthodoxos censet, sed cotidie verbo et scripto anathematizat quemcunque asserentem duas inesse Christo hypostases et quemcunque non unam tantummodo hypostasim confitentem in Christo. Id vero testantur qui eius dicta exceperunt et vulgata ubique eius scripta. Scripsit enim et obtulit plures libellos, in omnibus terris Romanorum praedicans se a nobis expulsum fuisse, quia nobiscum communem fidem non habebat, sibique ipsorum religio placebat. Nihilominus adhuc gloriamur talem in his omnibus hominem tanquam unum ex nobis censentes, et putamus adhuc homines nos esse et hominum mentem nos habere!

*p. 211.

At nunc sermonem meum abrumpo ob taedium, et longe ultra progredior; et gratias ago quam plurimas Dei clementiae, quod minime permiserit Sahdōnae ut nos falleret, sicut antea solebat. Alioquin haberemus, ut modo dicebam, egregium episcopum, cuius adversus nos scripta libros quos Xenaias [2] adversus Patres con-

[1] Cf. *Rom.*, xv, 19. — [2] Philoxenus Mabbugensis monophysita.

scripsit exsuperant. Idcirco miserabiliter clamo ad vos et oro obtestorque, ut a schismate caveatis, aut ab Ecclesiae perturbatione, o beati viri. Porro etsi exiguum quidpiam vobis videatur, quod unus qualis sum a vestra synodo dissideat in susceptione hominis qui fidem corrupit, parvi tamen non sunt qui ad mortem usque pro veritate decertant. Etiamsi unus sit, absit! quemadmodum ali-
*p. 212. quando *fuit, orthodoxiae tamen laus in gloria Altissimi triumphabit.

Audite : vobis narrabo novum miraculum et prodigium quod Deus in Ecclesia sua nunc in fine temporum ad confirmandum testimonium fidei suae in mundo edidit, ut Deus hominum amator, qui nunquam reliquit aut relinquet se absque testimonio. Daemones nimirum illos qui a trecentis circiter annis, a Cyrilli tempore et deinceps, fidei verbum depravabant in terris Romanorum illa assertione unius hypostasis, unius silicet naturae, eorumque similes, virtutis suae potentia modo illinc expulit, et una cum ipsis, ex diptychis et ex universa Ecclesia Romani imperii, abrasit Cyrillum et Severum atque alios, qui quemadmodum isti in impietate mortui sunt; illos vero qui in vivis sunt, et communem cum praedictis tenent sententiam propulit in exilium in varias Romani imperii partes, sive patriarchas sive episcopos sive quoscumque alios. Huius rei testes oculatos apud nos habemus fratres nostros monachos, qui universo orbe lustrato ad nos postliminio redierunt.

En nunc magna Roma, et socia eius Ravenna, et universa Italia, et totum regnum Longobardorum, et totum regnum Francorum, et universa Africa et universa Sicilia[1], Thracia universa et Creta universa, et Rhodus et Chius, et omnes universae insulae, atque Constantinopolis et eius dicio, et Asia et Bithynia, et Lycaonia et Pamphylia, et Galatia et Isauria, et universa Graecia, et Ierusalem et Cyprus, et multi Palestinenses et Phoenicii duas hypostases et duas operationes et proprietates Christi unanimi consensu profitentur : et anathematizant et in exilium pellunt omnes episcopos aliter sentire convictos. Insuper anathematizatus et ex diptychis ecclesiasticis expunctus est impius Cyrillus qui primus invexit
*p. 213. doctrinam de unica hypostasi et proprietate *atque operatione in Christo. Et vero mirandum est, quod illi, qui per tria circiter saecula errorem secuti erant, Dei gratia ad veritatis cognitionem redierint, nos autem, qui per sex fere saecula in vera fide et doc-

[1] Ms. : «Siliqia».

trina firmi perstitimus, nunc in errorem ignorantiae impellamur opera istorum daemonum qui a Romana dicione abacti fuere; et cum illi Cyrillum fidei ipsorum depravatorem e sacris diptychis post tria saecula modo abraserint, nos inanimem Cyrilli abortivum, nempe Sahdōnam fatuum hominem, in Ecclesiam Dei cum honore sanctorum admittendum esse contendamus, cum praesertim ille ad nos clamat continuo se nostram fidem non tenere, nosque universos in errore versari, seque satagere ut nos ad suam fidem traducat, et ad hunc scopum a terris Romanorum huc venisse.

Haec proinde intuemini, o sancti sacerdotes, et perfectam curam adhibete intemeratam custodiendi fidem nostram, et viriliter state in custodia Domini, in qua constituti estis, ne daemones illi qui ex Occidente virtute Dei abacti fuere, per cuniculos in Orientem nostrum irrepant vilissimi hominis opera, qui Sahdōna appellatur, nosque in fine mundi infamia huius modi laboremus. Recolite, ut viros doctissimos decet, quae scripta sunt : per exiguos nimirum et faciles aditus nequitiam huius modi in Romanorum terras olim intromissam fuisse, et viros admirandos atque inclitos doctores cecidisse, atque naufragium passos esse, et seipsos flevisse demum, cum ad indigna perpetranda inducti essent, ad anathematizandam videlicet fidem suam et Patrum et benefactorum suorum, quorum memoria litteris consignata manet in sempiternum ad nostram eruditionem et admonitionem, quoniam finis saeculorum pervenit super nos.

Ecquis vero novit an non sint ista initia dolorum adventus Satanae? Quod si sub initium *dolorum naufragium patimur, quae *p. 211.
nobis spes bona superest ad ea quae ventura sunt? Satagamus ergo, sicut boni antistites, ut simus prototypi virtutum pro Ecclesia Dei, ad cuius ministerium segregati sumus. Ipse autem misericors et bonus Deus, qui in potestate habet, ut omnem gratiam in timentibus ipsum abundare faciat[1], infirmitatem nostram sua misericordia corroboret ut faciamus voluntatem eius omni tempore, cunctis diebus vitae nostrae, amen!

XXXI. — Ad Ninivitas, de pestilentia.

Quae mihi scripsistis legi, et protinus secundum petitionem epistulae vestrae Sanctos Dei ad certamen orationis advocavi, me

[1] Cf. II *Cor.*, IX, 8.

autem ipsum una cum iis paullum consociavi quasi debilis vir cum robustis. Nunc a Deo veniat salus, et super populum qui ad nomen eius confugit sit benedictio misericordiae eius in sempiternum. At, quamvis modo metu mortis in natura nostra constantis iure commoti sitis, a causa tamen huius *mortis* maxime tremete et timete, hoc est, a peccato. A peccato enim tanquam a malo mors communis genita est et cotidie gignitur. Ne igitur petatis ut a morte liberati sitis, sicut petivistis, sed vos ipsos a causa mortis amovete, quod faciendi potestas vobis est. Mors quidem puncto temporis tantum in nos dominatur, et multis hominibus facile est eam tolerare; peccatum vero in eos qui illud committunt in perpetuum dominatur et cunctis hominibus valde arduum est illud tolerare. Huius ergo auferendi vel saltem minuendi curam adhibete, quantum potest virtus vestra.

Intellegite optime benevolentiam Dei : etsi specie quidem irae nunc opus mortis affert, abundantia tamen misericordiae eius ineffabilis correctio plena est pro eo qui, opera eius providentiae cernere pulchre scit quomodo mortem in natura apud omnes
*p. 215. constantem parva operum mutatione * in correctionis speciem transformat, ideo ut e somno peccatorum ad vigiliam iustitiae nos paullatim excitet et, quando consuetudine continuoque modo in errorem peccatorum fefellerimus, commotione mutationeque consuetudinis ad memoriam iustitiae revertamur, sicut homines prudentes.

Sequimini igitur virtutem, o viri fratres mei, et a vobis abigite neglegentiam, matrem omnium vitiorum, et istas consuetudines pravas. Odio habete peccatum quod in vobis est, et arcete ipsum a vobis. Ponete pro eo in anima vestra tanquam thesaurum bonum iustitiam vestram. Consecrate vos nunc Deo, et timore tremoreque opus vitae vestrae colite. Solvite vincula iniquitatis et secate ligamina doli. Benefacite pauperibus et miseris, et cum zelo perficite ministerium Domini. Persistite in oratione salutari, in ea estote vos vigiles et confitentes. Offerte cor vestrum coram Domino. Supplicatione valida et lacrimis misericordiam a gratia eius petite ut forsan se vertat nostrique misereatur, a vobis virgam vexantem et plagam affligentem amoveat, vos abundantia auxiliorum suorum omni tempore impleat, vos quoque gaudio quod exspectatis satiet, et corroboret ut voluntatem eius faciatis omni tempore per cunctos dies vitae vestrae, amen!

Vos salutant omnes sancti Domini nostri, quos adiutores in oratione advocavistis. Utinam Dominus noster preces eorum pro vobis accipiat in misericordia gratiae suae, amen!

XXXII. — Ad Isaac Nisibenum, de Hierosolymitis.

Merito sane, cum vehementiam rerum adversarum vicissitudine cotidiana forte surgentium discerno, sine culpatione *iam dimitto *p. 216. defectum retributionis pro debito linearum scriptarum, quas alter alteri mutuo dare solemus. Scripsi enim multo ante duas epistulas Sanctitati tuae, neque multo post responsionem unius accepi. Reprehensioni autem non obnoxiam esse in hoc casu Paternitatem tuam iam dixi, quia per tabellarios[1] pro tali negotio singulares eas *epistulas* non miseram. Itaque bonum semen meum vepribus spinarum alienarum suffocatum est[2]. Sed nunc per tabellarios, qui melius transeunt quam priores, mihi contigit ad Paternitatem tuam scribere. Isti tamen e Terra sancta et ex urbe Regis maximi veniunt et ministri sunt Locorum sanctorum, quae in humo suo sanguinem sanctum Redemptoris mundi et corpus sanctum mortem mortificans acceperunt. Et cum propter eos ad Paternitatem tuam scribendi occasio mihi fuit, etiam ut causam eorum adventus in provinciam nostram tibi consequenter nunciarem, negotium me impulit.

Venerunt quidem, ut aiunt, quia ab hominibus nempe incitatoribus e provincia nostra impulsi spem melioris potestatis foverant, et a Ierusalem usque ad fines desertos huius imperii, id est ad Ḥirtam Arabum urbem, allecti sunt, cum putarent etiam sperarent fore ut inopia Sanctuarii, quod caput fontis vitae fidelium est, a miseria hominum semper pauperum solamen temporarium caperet, mutatis moribus novis. Ita venerunt, ut potuerunt, et reperierunt iter vacuum et spem fallacem. Illinc ad patriarcham nostrum migrarunt; dein egressi sunt ex metropoli metropolium omnium cum marsupio inani et vacuo[3], mendicationis epistulam sollicitudine paterna patriarchae nostri datam secum habentes una cum *subsidio ex opibus eius miseris, quod pro nobis omnibus est *p. 217. oblationis debitum, sed pro eo qui oblationes voluntarias accipit, summa liberalitas est.

[1] Pro ܡܣܟܢ̈ܐ; lege ܦܣܩܕ̈ܐ. — [2] Cf. Marc., iv, 6, 7. — [3] Verbatim : «tohu vabohu pleno». Cf. Gen., i, 2.

Ita ad nos pervenerunt, ut homines naufragium passi. Cum ego ne stipulis quidem infimis eos calefacere possem, etsi quasi barbara caritate me eorum puderet, ut decet, cum spe in vos transeunte eos dimisi, a me quasi viatico lineis modo vanis istis instructos, quas ea ratione scribo. Ex inopia mentis et defectu cuiusvis rei, Paternitati tuae suadeo aliquid quod tibi solitum est facere : evulga eorum negotium coram hominibus bonis, quibus curae est virtutem colere, qui forsan secundum spem propter quam venerunt istos viatico, aut pane peregrinorum in cursum itineris eorum dato, fulcient. Sic sollicitudine Sanctitatis tuae et pulchra consuetudine nobilium civitatis tuae aerumnam istorum virorum, qui frustra laborarunt, imminues; et tibi et civitati inclitissimae crescet triumphus, et excellentia successus bonorum vestrorum in universo orbe augebitur religio ad gloriam Christi, qui misericordia sua honorem tuum in Ecclesia sua exaltet ad solamen nostrum omnium, amen!

Ora pro vilitate mea, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam.

HACTENUS EPISTULAE IŠŌʿYAHB METROPOLITAE;
EXINDE EPISTULAE IŠŌʿYAHB CATHOLICI.

EXPLICIT PARS SECUNDA.

*PARS TERTIA. *p. 219.

EPISTULAE QUAS SCRIPSIT IŠŌʿYAHB CUM ESSET PATRIARCHA.

I. — Ad Isaac Nisibenum, de erectione sua ad Catholicatum.

Cum aliquando testis rationalis deficeret Deo omnipotenti, o pater noster, caelum et terram constituit testes fideles verbi sui ad homines [1]. Aliquando vero cum angelis corporeis egeret, si non impium est talia dicere, mediatoribus haud sensibus subditis usus est ut doceret rationales scientiam providentiae suae. Et brevi temporis intervallo, per transfigurationem miraculosam convertit naturam nostram in institutionem caelestem : quam Ecclesiam nuncupavit replevitque eam lumine vitae immortalis et scientia virtutis aeternitatis suae. Gustavimus et vidimus in vasis prodigiosis splendorem gloriae Domini nostri. Et haud multo post, sed ipso tempore praesenti et non ultra modum vitae nostrae brevis, retraxit, ut manifestum est, e medio suae Ecclesiae lumine plenae, radios gloriosos virtutis aeternitatis suae, si decet nos ita loqui.

In his quidem quae evenerunt, id est in spe debili quam posuit populus Domini super virum infirmum qui sum, dolor parvitatis spei debilitat animum meum, et turbor cogitando ex tanta altitudine in quantam humilitatem descenderit populus sanctus Domini; cum vero ad mores et vicissitudines providentiae me converto, tum per memorias exiguas agnosco gratiam Dei omnibus in his rebus. Aut enim *omnino crescere debet ea*, quando in infirmis perficitur secundum praefixam promissionem [2], *aut vero damnose relin- *p. 220.
quendus est mundus miserabilis ad naufragandum periculo directionis deficientis, vel directionis pravae sicut nunc. Sed multum decet exinde homines pios Sanctitatis tuae similes, qui sollicitudinem Ecclesiae Domini nostri in cordibus suis gerunt, plus quam usque modo facere certamen in oratione pro pace et exaltatione Ecclesiae, pro constantia in favorem legum divinarum et pro prosperitate in omnibus bonis illius qui talem praefecturam iam

[1] Cf. *Deut.*, IV, 26. — [2] Cf. II *Cor.*, XII, 9.

commissam habuit per gratiam Dei. Cum id feceris, opus quod te decet perficies. Te enim decet omni modo certamen bonum pro Ecclesia Domini nostri. Perfice igitur certamen tuum in oratione pro debilitate mea, ut sanctum Dei *decet*, non solum quando praeco id tibi in memoriam revocabit, sed quotiescunque genua in terram pones et humiles gemitus edens caput tuum summa demissione incurvabis. Roga supplex Deum ut auxilium virtutis suae emittat ex alto inaccessibilitatis suae ad salutem primum vitae meae, et ad decus et honorem Ecclesiae suae sanctae, et ad gloriam nominis sui venerandi et adorandi in aeternum.

Detur salus mea per Sanctitatem tuam omnibus collegis tuis qui illic degunt, et omnibus fidelibus dilectis communitatis. Petunt vero pacem tuam omnes Patres episcopi qui sunt ibi ministri solliciti in semetipsis de opere Ecclesiae sanctae Domini nostri. Ora iterum pro me ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat, agam; et videam te in pace prout Dominus voluerit.

* p. 221. II. — * AD FRATRES MAGNI MONASTERII IZALAE, DE ERECTIONE SUA AD CATHOLICATUM.

Vobis, o beati, neque in usu neque contra usum est scribere de his quae evenerunt. Neque explicationes neque demonstrationes ostendere vobis satis nunc poterunt fiduciam exiguam debilitatis meae super hoc quod mihi evenit, propterea quod forte voluntas et oratio sollicitudinis vestrae ceciderunt super me, me rapuerunt et vinxerunt in magnitudine praestantissimi operis nominisque ecclesiastici nunc, tempore quo dicere decet ea, quae iuvenes illi beati et martyres antiqui in fornace loquebantur[1]. Quod si iis ita tunc visum est, quid igitur putandum dicendumque erit nunc mihi misero et omnibus rebus destituto?

Si porro secundum voluntatem et orationem vestram acciderunt ea quae acciderunt, o viri beati, sicut multi opinantur et ego persuasum habeo, indesinenter sit vobis studium orationis ad inducendam super debilitatem meam ex thesauris Domini nostri virtutem misericordiae, qua adiuvetur debilitas mea omni tempore, ut velim et perficiam quod coram Deo pulchrum est omnibus diebus vitae meae, amen!

[1] Alludit ad DAN., III.

Quod si non ita sit, sed contra voluntatem vestram accidit quod debilitati meae accidit, sedulo orate, quaeso, ne pereat amicus vester, qui sum, a Deo derelictus, sed cito me praeveniat misericordia eius et sollicitudine eius benigna dignus sim, et reliquos dies meos in vita quae voluntati divinae placeat, agam et videam vos in pace prout Dominus voluerit.

III. — *Ad Nobiles Nisibenos, de haereticis. *p. 222.

Felicitatem singularem comparavistis in mundo, viri fratres; fanum enim blasphematorum quod Satanas prope portam urbis vestrae fixerat[1], vos igne zeli vestri ad nihilum saepe redegistis : quod cum Neduba'al semel tantum fecisset, decus immortale in Israel carnali statuit et laudem fidei eius os apostolicum[2] praedicat cotidie et in aeternum; vos, cum multoties feceritis, Israeli spiritali copiam laudis verae attulistis, et decus zeli vestri etiam ora extranea praedicare coguntur. At evenit vobis his temporibus quod evenire solet bellatoribus inclitis qui, in aestu praelii mortalis, victoriam virtutis suae fortiter statuunt, sed ex parva neglegentia perditionem vitae suae subeunt a manu debili; ita quidem inclitis viris Nisibenis evenit, aut mox eveniet, hoc est vobis; cum enim in aestu praeliorum contra diabolos haereticos victoria fortitudinis vestrae cum gloria eximia praedicata sit, per neglegentiam tamen praesentem periculum ruinae augetur, et nisi Dominus civitatem custodierit[3], subito et prope audietis fortasse verbum retro vos dicens : Ubi ergo felicitas vestra?

Non sic, fratres, non sic, sed excutite pulverem socordiae a vestibus cogitationum vestrarum strenuarum, et portate in membris vestris cum fortitudine armaturam bonam dilectionis fidei verae, in qua nati estis, in qua sanctificati estis, et per quam glorificati et honorati estis et nomen vestrum in mundo laude fidei orthodoxae fulget. Nostis enim, fratres, *sicut et evidens est omnibus, *p. 223. quod victoria diabolorum per neglegentiam nostram adstruitur, neglegentia vero nostra per inertiam voluntatis generatur, et voluntas quidem, cum relaxatur a pulchritudine status sui, consensum perditionis suae dat diabolo. Et quantum malum sit quod aliquis

[1] Cf. p. 64, l. 5, et 164, l. 28. — [2] Cf. *Hebr.*, xi, 32; alludit ad gesta Gedeonis, *Iud.*, vi. — [3] Cf. *Ps.* cxxvi, 1.

Satanae virtutem talem det, luctus ipse conscientiae naturalis in commotione affligente vehementer clamat. Vigilate ergo rursus, viri fratres, vigilate ! Induimini fortitudinem brachii Domini. Excitate paulisper furorem zeli contra diabolos blasphematores neque torpescatis in vincibilitate cotidiana. Subvertite institutum invidi *diaboli* a finibus ditionis vestrae, et signum immundum removete a loco sancto. Custodite libertatem fidei vestrae in puritate ab omni pollutione pravae communionis cum impiis pravis; et scitote bene, sicut et bene scitis, quod neque diaboli pagani neque alii tantum ad corrumpendas animas recte confitentium mysteria redemptionis nostrae quantum diaboli haeretici isti hodierni duabus istis [1] impietate proficiunt.

Manifestum est eos quia, ratione habitus et nominis et sermonis et symbolorum, christiani videntur et ob bonam apparentiam huiusmodi venenum blasphemiarum suarum facile instillant in anima simplicium, et mortem promptam et a vita fidei remotam facile praeparant, a vita pro qua effusus est sanguis sanctus qui mundum vivificavit. Negationem enim redemptionis universalis impii docent homines scientia destitutos : et naturam creatricem per participationem passionum carnalium removent a gloria impassibilitatis propter inhabitationem in carne; et naturam quae gloriose
*p. 224. creata est renovatione imaginis divinae, quae manet *in aeternum in honore et gloria filiationis, per annihilationem hypostaseos, privant impii sessione a dextris adorationeque et glorificatione universali. Porro non sunt nobis, secundum eos, neque divinitas revelata in humanitate, neque humanitas salvata et sanctificata in divinitate, neque communio spei resurrectionis, quae propter communionem primitiarum resurrectionis est; neque, ut multa breviter dicam propter epistulam, divinitas quae in hypostasi divina sit Deus, neque humanitas quae in hypostasi humana sit homo. Sed loco universae spei verae christianitatis divagationem nominum sine subsistentia praedicant. Sine subsistentia enim est omne nomen quod hypostasi verae non attribuitur per proprietatem incommutabilem distinctivam hypostaseos.

Manifestum quidem est cuicunque animam ratione praeditam habenti quod in theologiam non credit ille qui malum passionum corporearum ei adiungit qui Deus secundum naturam ab eo nuncu-

[1] Aliquid deesse videtur.

patur. Neque credit in vitam resurrectionis ille qui primitias resurrectionis per annihilationem hypostaseos negat. Cum daemonibus obediet et adorabit in die fatali, ille qui nunc consensu voluntario non genuflectit ad adorandum et confitendum eum qui ab omni genu adoratur et ab omni lingua laudatur[1]. Dissipari debebunt penitus coram throno regni et gloriae huius cognati maioris quem noluerunt regnare super se hic. Si sane tanta est impietas impiorum, o viri impietatem detestantes, ut et impii in ipsa glorientur coram omnibus hominibus, et necessario talis futurus est exitus spei eorum in revelatione regni Christi, quis non abhorrebit *ab *p. 225. immunditie eorum, ut decet? Quis non claudet oculos suos a visu turpitudinis habitus eorum perniciosi? Quis non occludet aures suas ab auditione blasphemiarum eorum impurarum? Ut vehementius loquar, secundum verbum Oris aureati[2] et linguae inclitae Ecclesiae Christi : Quis non sanctificabit manus suas verberando eos? Quis non dilacerabit labia eorum? Quis non allidet maxillas eorum? Quis non scindet vestimenta impura quae sunt in corporibus turpibus?

Eiicite igitur, eiicite, o viri beati, diabolos istos blasphematores a finibus civitatis vestrae, et purificate ab immunditie impietatis eorum locum sanctum ubi habitatis. Custodite vos sanctos et incorruptos, ut habitet in vobis spiritus Christi spei vitae nostrae et primitiarum redemptionis nostrae et Domini gloriae nostrae et Dei nostri adorandi. Splendescat in vobis gloria fidei eius et decus honoris eius et virtus revelationum eius praeclararum. Estote prototypi virtutum pro Ecclesia sancta in omnibus regionibus orbis usque ad revelationem gloriosam de caelis Domini nostri Iesu Christi; ut quando veniet ut in sanctis suis glorificetur et ostendat mirabilia in fidelibus suis, digni sitis sorte sanctorum in lumine inextinguibili et in vita immortali per gratiam et misericordiam Christi Domini nostri in saecula, amen!

Salutate vos alii alios in nomine meo per osculum sanctum in concilio communitatis. Orate pro me ut dignus fiam misericordia Dei, et reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam et videam vos in pace prout Dominus voluerit. Gratia sit cum omnibus nobis, amen!

[1] Cf. *Philip.*, II, 11 — [2] Chrysostomi.

IV. — Ad Clericos Nisibenos, de haereticis.

*p. 226. Cum olim vagatione cogitationum alienarum ad *impetum vergentem in malum abreptus sit populus ille iunior in doctrina, Israel antiquus, et artificium perversum instituerit contra virtutem salvatoris sui; et eodem etiam impetu incoercibili secum traxerit caput fontemque et patrem primum sacerdotii, tum eius collegae soli inventi sunt prompti aemulatores vocis quae dixit : «Qui a Domino *est*, ad me veniat. Et congregati sunt quidem et circumdederunt eum omnes filii Levi[1]», hoc est ministri sanctuarii et propitiationum symbolicarum illius temporis. Et fecerunt id quod eos fecisse nostis : manus suas Domini servitio consecrarunt unusquisque in filio et fratre suo; et purgaverunt coetum pollutum ab immunditie fidei alienae et perversae, et firmaverunt *sibi* pacto sempiterno benedictionem sacerdotalem per os fidi mediatoris veteris Testamenti, et statuerunt vobis, vel potius nobis omnibus, exemplum immortale pro ministerio sacramentali, *nempe* ut virtute adhortationum sacerdotalium ad certamen pro veritate fideliter praeparemur, in fervore zeli spiritalis, immo ut superemus maiori impetu propter eminentiam ministerii, illos qui exemplum fortitudinis initio ordinis sacerdotalis praeclare fixerunt, et manus nostras Domini servitio consecremus, unusquisque non in filio aut in fratre suo, sed in adversariis divinitatis et humanitatis, et in blasphemantibus perpetuo adversus mysterium adorandum salutis mundi.

Ubi ergo sunt in tempore praesenti filii Levi huius spiritalis hodierni, virique insignes nomine et illustres in civitate, qui creduntur et sunt revera incliti propter virtutem potestatis suae? Nonne contra vos plus quam contra omnem coetum civitatis vestrae
*p. 227. nefarie positum est signum impurum ad latus portae *civitatis vestrae? Nonne specialiter et sine participatione ceterorum praelium adversus id *signum*[2] *vobis agendum est?* Nonne imminutionem patitur omni modo decus antiquum vestram, quamdiu pes immundus impiorum super cervicem vestrum prope positus sit? Aut quomodo nunc concedetur cuique vestrum honor solitus in ecclesiis Domini ad quas perveneritis, quamdiu opprobrium a blasphematoribus impuris et vilissimis super frontem vestram prope positum est?

[1] Cf. *Ex.*, xxxii, 26 et seqq. — [2] Lege ܠܘܩܒܠܗ̇, loco ܠܘܩܒܠܗ.

Hoc etiam, quod incitatione nostra egeatis ut vigiletis contra alienam pestem, morbus est perniciosus qui neglegentia, matre omnium malorum, efficitur. Cum ea, dico cum neglegentia matre mala, quando copulatur Satanas, pater omnium malorum, foetus peccatores et prolem impiam generat cotidie, sicut videre potest omnis peritus. Et miseri sumus nos, ne vos dicamus, si huiusmodi malo subiicimur. Porro probrum vestrum illud venit ex neglegentia, non ex alia causa. Evidens est id omnibus, quamvis sint qui aliter loquantur. Sed vigilate, rogo vos, et portate in cordibus vestris et in labiis vestris et in manibus vestris zelum sacerdotalem pro lege fidei verae, quam cotidie persequuntur impii cotidiani. Expurgate cito aqua vel potius igne zeli vestri pollutionem impiorum e conspectu urbis vestrae et ecclesiae vestrae. Custodite abundantiam gloriae vestrae et honoris vestri ne spolietur, usque ad extremum spiritum. Attendite et iterum attendite et maxime attendite, et in aeternum attendite, ne radix amara ramum emittat laedatque vos, et eo multi polluantur. Si a principio non cura habetur reiiciendi * mali, tunc *istud* occursum continuum addet. Si a principio occursus *p. 228. non repellitur, tunc commercia perniciosa generabit. Et si a principio commercium pravum non amovetur, tunc perditionem vitae verae fidei in animis simplicium, et forte etiam peritorum, generabit. Ne vobis res gravior sit, occursus continuos et commercia aiunt quidam ex vobis, esse quibusdam vestrum apud angelos Satanae, qui perpetuo susurrant ad portam civitatis vestrae. Suffite ergo, o viri fratres, fumum zeli vestri ardore amoris gloriae verae, ut fugiant vespae molestae blasphemantes divinitatem, a flatu flammae zeli vestri. Custodite vobis decus antiquum in eminentia antiqua, quod est custodia verae fidei, non solum propter spem futuram sed etiam propter gloriam universalem in mundo isto. Sine hoc enim, id est sine constantia firma in fide et pro fide et propter fidem, non est laus vera hominibus, neque vita constans neque honor permanens, neque in hoc mundo neque in futuro. Porro multum decet eum qui propter illum mundum vivit, immo propter illum solum, pro gloria orthodoxiae et propter orthodoxiam in praesenti certamine omnem virtutem potestatis suae exhaurire, cum sit spectator certaminis et probator valoris eius ille donator virtutis et arbiter praelii et glorificator strenuorum. Date illi ergo, viri illustres, date ei strenue omnem virtutem et potentiam vestram in praelio adversus errorem pro fide dogmatis eius : et ille

dabit vobis virtutem victoriae suae hic cum beatitudine ab angelis et *p. 229. hominibus laudanda; induet vos rursum gloria *remuneratrice in suo regno aeterno cum iis, qui huic mundo fuerunt exemplum perfectum vitae spiritalis, et portant in seipsis participationem gloriae Christi in regno aeterno.

Orate etiam pro me, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat, agam et videam vos in pace, prout Dominus voluerit. Salutate vos invicem in memoria vilitatis meae cum osculo sancto. Gratia cum omnibus nobis, amen!

V. — Ad Berîkvai, de Maḥuzaeis.

Sectio persica syriace (scripta).

Dolor naturae inest et omnino mirandus. Matres solae plus quam ceteri homines eo tenentur, quando mors vinculis morbi in pueros earum manus iniicit : tunc amore naturali percussae pectora et membra vestimentaque sua dilacerant, donec pulvis super sepulchrum *sparsus* porta sempiterna inter eas et earum dilectos sit. Exinde et deinceps in contritione cordis et perturbatione cogitationum perplexae tabescunt, et in otio coacto solamen coactum necessario subeunt. Quando autem non raptu mortis fit separatio, sed manus captivatorum e sinu earum infantes rapiunt, tunc dolor immortalis in sinu suo in aevum portant ob eos qui ablati sunt sine morte dolores perpetuos dissipante; dies noctesque vitae corporalis in tremore continuo peragunt; et rumores veridici et rumores falsi doloris renovatores eis sunt. Fide destitutae omni tempore discerpuntur, eo quod ne auxilium quidem desperationis, quod *p. 230. *mors afflictis dare solet, invenire possunt, cogitatione ad dilectos suos versa, quos ita manus captivatorum e sinu earum eripuerunt, et eo magis quod captivitas ipsa acerba et mortifera sit.

Aliquid vero huiusmodi rei simile inveniri potest, frater noster, in iis quae nunc mihi nunciavisti, praesertim quidem quia probavi et novi acerbam mortiferamque esse captivitatem, quae miseros Maḥuzaeos e sinu ecclesiastico abripuit et cor maternum ob eos afflixit. Ab ipsis non solum libertatem christianitatis tulit, sed eorum intellectum ipsum a prudentia liberorum abduxit, et in vitam insulsam eos proiecit. Me quidem et totam Ecclesiam Dei in luctu sempiterno reliquit cum incertitudine cogitationum cotidianarum. Idcirco, cum quae scripseras legerim, incredibilis mihi visa

est res, et stupeo si a te creditum est spem reversionis possibilem esse eorum qui se ipsos plene tradiderunt captivatori generis nostri et perditori vitae nostrae.

Ecce enim heri adhuc, ut ita dicam, ego et omnes sacerdotes Dei qui in nostra provincia sunt, tristes et desperatione materna capti reversi sumus a sepulchro istorum hominum miserorum, et si quidem non a sepulchro quasi mortuorum, verum a ferocitate Satanae eorum captivatoris, cum ex hoc modo plus quam ex captivitate captivatorum corporalium nobis ortae sint nimiae amaritudines, quando videbamus filios nostros stulte negantes se filios nostros esse, nos increpantes et eiicientes, nomen honorabile quo gloriamur et quo Deum adoramus blasphemantes, nos probris contumeliisque afficientes, nosque repellentes et amoventes turpiter e carcere captivitatis suae. Canitiem nostram non venerati sunt, neque ob nomen honorabile quo nuncupamur *aliquantulum eos *p. 231. puduit.

Ecce enim inter nos, opinor, erant homines honorabiles, et inter nos erant homines sapientes reputati, si et non etiam sint, et inter nos erant homines iusti reputati, si et non etiam sint, quibus Deus testimonium fortasse dederit per signa et miracula variaque prodigia : attamen nos[1] increparunt ii qui dicebantur filii nostri; attamen nos repudiarunt; attamen nos opprobriis affecerunt; attamen nos eiecerunt; attamen nos ad locum perditionis tanquam a se ipsis pepulerunt, vel potius ad locum perditionis tanquam a nobis pulsi fuere; attamen amaverunt Satanam suum captivatorem magis quam Christum Dominum patremque suum; attamen amaverunt angelum Satanae, qui prava causa perditionis vitae eorum fuit, magis quam angelos Dei istos qui sacerdotes sancti sunt et nuncupantur, et qui egressi sunt ad quaerendum eos sedulo, ut pastor in Evangelio[2] descriptus, et sicut ex negotiis ipsis cuicunque manifestum est.

Quod si post hanc tantam desperationem satanicam credidit Fraternitas tua, et si nobis suadet ut credamus fieri posse resurrectionem subitam talium mortuorum, res mihi valde miranda videtur. Et si velis tu ipse mirari, mirari potes. Aut enim in veritatem aut in errorem dividitur haec res sicut ceterae res, et utrobique valde miratu digna est. Quod si in veritate illi homines miseri e manibus

[1] Lege ܠܢ pro ܠܗ. — [2] Cf. Luc., xv, 4.

Satanae sui captivatoris relaxati sunt, et mens ad ipsos reversa est, atque putant nunc sibi quaerendam esse libertatem in Christo, ut tu scripsisti, valde mirum est quod te solum existimaverint habere timorem Dei summum et sapientiam summam et misericordiam summam. Sitne ita, nos omnes acquiescemus et proclamabimus «bene et amen», et consensum dare cupimus. At si non verum,
*p. 232. *ut credidisti, est, sed errore satanico adhuc capiuntur, et ad te tanquam ad nobilem laicum se verterunt coacte, hoc est cum spe prava, maxime mira et fletu maiori luctuque sempiterno digna est res.

Attamen ego volo, etiamsi iis velint te decipere, tecum errare, quantum res sinit, si quidem errore meo tuoque fieri possit ut mortui illi resurgant, aut[1] captivi illi liberentur e laqueo Satanae, in quo sponte capti sunt. Spem malam etiam desperans de illis ex hoc sumo, quod Fraternitas tua mihi scripsit nomina eorum qui ad te venerunt. Inter eos enim inveni illos qui mentis suae pravitate certaminis huius contra Ecclesiam Dei incitatores sunt. Sahdōna Satanae angelo, qui iis copiam ad hoc certamen praebet, loco mediatoris ad paucum tempus solummodo utilis utuntur illi, sicut praedictum est antea tibi et omnibus hominibus. Quamdiu pravitate fidei nondum famam perversam obtinuerat Sahdōna ille, qui pro iis angelus Satanae fuit, vilis despectusque iis videbatur, turpibus nominibus eum designabant, et se miseros existimabant quod talis episcopus iis contigisset. Contra me et murmurabant, qui testimonium rectitudinis viri iis dederam. Sed postquam ille palam evulgavit perversitatem mentis suae per libros ineptos et per omnia exempla prava consensus sui cum haereticis, et a timentibus Deum reprehensus fuit, tunc manus expanderunt ad eum accipiendum, et propter eum totam Ecclesiam Christi deseruerunt; in faciem Catholicorum spuerunt librosque eorum lacerarunt, episcopos
*p. 233. despexerunt *anathemataque eorum contempserunt.

Ecce propter Sahdōnam cotidie morituri sunt omnes, cum ne unus quidem eorum pro Christo *moreretur*. Mutaverunt etiam blasphemiam contra me sensu inverso, olim quidem me blasphemabant, quia dixeram Sahdōnam eorum episcopum fieri decere, cum nondum erravisset; ecce me hodie blasphemant dupliciter, quia dixi et dico esse populo orthodoxo episcopum haereticum non congruere. Haec

[1] Lege ܐܘ pro ܘܐ.

et alia omnia huius modi stupenda sunt pro iis qui ea intellegunt.

Sed Dominus noster in misericordia sua det ut fiducia tua de his hominibus confirmetur, et nos quoque socii tui fiamus in hac spe, quam Satanas multis laboribus abstulit. Qui enim domum fortis adiit, et infernum habitaculum mortuorum spoliavit, et armaturam fortis ab ipso sumpsit, et eum vinculis ignis inextinguibilis ligavit, et eum in tenebras sempiternas iniecit, et ab eo homines captivos virtute divinitateque sua aeterna liberavit in misericordia sua in saecula saeculorum : ille potens est nunc idem agere, vi caritatis suae, erga captivos hos perditos, quorum causa mihi scripsit Fraternitas tua. Aperta quidem est porta Ecclesiae hic : qui vult per eam intrat; qui vult ex ea egreditur. In mundo autem futuro, qui per eam semel intraverit nunquam ex ea egredietur, et qui ex ea semel egressus erit nunquam per eam regredietur. Illic enim summus Pontifex sine peccato est, et peccator in Ecclesiam eius non intrat. Hic, qui sacerdotes dicuntur, nos videlicet, peccatores sumus et in peccatorum Ecclesia sacerdotio fungimur; peccatorum nos non taedet; solummodo adhaesione ferme bonae speciei egemus, ut protinus recipiamus peccatorem *in Ecclesia nostra, donec sa- * p. 234.
cerdotium et rationem sacerdotii illi reddamus, qui id nobis dedit in gratia misericordiae suae.

Quod quidem populo isti misero cuncta debita sacerdotalia solverimus, testis est Fraternitas tua sufficienter, et testes sunt tecum omnes periti regionis nostrae. Si revera Satanas a Maḥuzaeis remotus est, testes quoque erunt ipsi, quod plusquam mater pueros suos amans amavi, et iis non solum veram fidem quam custodirent dare, sed etiam memet quantum possem tradere cupivi. Si nunc in veritate aguntur quae scripsisti, frater noster, et in hominibus illis miseris conversionem eximiam conspicis, in qua sit signum timoris Dei, intende animum tuum ut dicas et audias, et esto minister resurrectionis eorum, qui peccato sibi ipsis mortem intulerunt. Esto etiam angelus salutis eorum qui a Satana, generis nostri perditore, capti sunt. Et ecce nos tecum prompti sumus ad agendum quidquid coram Deo gratum sit.

Si autem animadvertis eos hactenus in vinculis Satanae ligari, et solummodo cum vanis despiciendisque verbis ad te accedere, per te ipsum mihi quoque perturbationem satanicam augere cupientes, ab iis fuge auresque tuas claude; abige eos a loco praesen-

tiae tuae secundum praeceptum Apostoli[1], ne animum tuum traditionibus perversis polluant. Scriptum est quoque[2] : « Corrumpunt animos gratos colloquia mala. » Custodi te ipsum in puritate, Deum confitens. Ipse Deus noster misericors et bonus, qui non vult mortem impii sed ut convertatur a *peccato suo, ut vivat*[3], *virtute* misericordiaque sua eos e mortalitate resuscitet in gratia, et caritate eos a captivitate liberet. Impleat nutrimento et deliciis vitae corda a malo vexata. Det quietem et pacem populo suo benedictus ipse
*p. 235. Deus. Te quoque *in misericordia sua corroboret, ut prospero successu fruaris in omnibus bonis operibus quae voluntati eius placeant, per cunctos dies vitae tuae, amen!

VI. — Ad Abbatem coenobii Novi et Fratres coenobii in Baʿarabin.

Quae mihi scripsistis legi, et sanitate vestra stabilitateque operis vestri divini gavisus sum et Dominum nostrum laudavi. Si ex re paullo ante acta sensistis quantam curam in coenobium ubi degitis afferat Deus, ut nomen bonum opusque pulchrum custodiat, valde miramini et cum mentis discretione confitemini providentiam Dei erga vos, et studete ut voluntas vestra et labor vester operae caritatis eius erga vos congrua sint. Si vero pauca est apud vos prudentia huius modi, attendite, quaeso, et intellegite miraculum misericordiae Dei. Obedite cum perfecto obsequio necessitati caritatis eius prodigiosissimae, et sanctificate nunc zelo vestro voluntario coenobium ubi degitis procul a pollutione famae turpis. Cum timore tremoreque a cuncto opere pravo curate laborem vitae vestrae. Facile est sane post experimentum mali a malo caute fugere. Facile est etiam post demonstrationem virtutis Dei in virtute Dei confidere. Itaque primum cavete et deinde confidite, et ita utrobique opera excellentia multiplicate, iuvante Deo.

Collegite caritate dispersos vestros, senes in honorem et iuvenes in laborem. Qui praeest in sollicitudine stet sicut scriptum est, et
*p. 236. qui in calce ministrat alacriter ministret, sicut scriptum est[4]. *Dolosa ne sit caritas vestra. Tu caput, te ipsum parvi existima, quemadmodum te huius animi esse opinor, et in administratione rerum

[1] Cf. II *Tim.*, III, 5. — [2] Cf. I *Cor.*, XV, 33. — [3] Cf. *Ezech.*, XXXIII, 11. — [4] Cf. *Rom.*, XII, 8.

necessariarum tibi potens robur inhaereat, ne opera stabilitatis coenobii vestri per omnes artes socordiae dissolvantur, sed humilitatem strenuitate cogitationis eximiae concinna, et strenuitatem rursus humiliatione mentis vigilis concinna, et utramque *virtutem* cum prudentia posside, ut opus tuum prospere incedat, et lucrum tuum augeatur, et gratia Dei te custodiat. Vos autem, Fratres, augete consilium honorabile in personam quam titulo directionis coenobii vestri honoravistis. Praestate ei obedientiam promptam in omnibus operibus bonis. In persona quidem sua, vobis nunc etiam sit qualis hactenus fuit, videlicet frater dilectus et laudabilis; in auctoritate vero sua, Abraham pater vester sit vobis eximius vestrum omnium, cuius in precibus et refugium quaeratis, ita ut inveniatis obedientiam fidelem cum caritate mixtam et caritatem veram cum obedientia fideli mixtam, atque his duabus thesaurus vitae spiritalis in vobis abundet gratia Dei. Ipse vero Deus noster misericors et bonus, qui potens est omnem gratiam in timentibus eum abundare facere[1], vos omnes perfecte sanctificet, vosque corroboret ut voluntatem eius faciatis omni tempore per cunctos dies vitae vestrae, amen!

VII. — Ad Iacobum episcopum urbis Siarzur.

Accepi et legi quae scripsisti, et de sanitate vestra Dominum nostrum laudavi. Cum vero aegrotaveris sicut mihi scripsisti, sanabit te Dominus ut decet. Forte scis, opinor, morbos corporis et vexationes animae comites continuos nobis omnibus esse; sed neminem *e nobis cohibere possunt, quin quod decet agat, quando *p. 237.
cunctis operibus religionis aequum munus, quod iis a nobis debetur, praestare volumus. Si impossibilitate aliquando impedimur a pulchro labore quem cupimus, expletio eius ipsa repetenda est a Domino bono et etiam a servis sapientibus, quemadmodum et qui aliter sint latere nequeant[2].

His quidem lectis quae mihi scripsisti, de audacia imperii mortui sane querens, quae in te irruit, si reipsa in te irruerit, valde stupui ob duas res, nempe : quod Magi in imperio iam mortuo se commoverint adversus religionem semper viventem, et quod tu hoc

[1] Cf. II *Cor.*, ix, 8. — [2] Ultima verba sunt e Tim., v, 25; vix cum antecedentibus recte componi possunt, et perturba videtur periodus.

tempore praefectus religionis non protinus et celeriter demonstravisti mortuum sine potestate et vita esse, ad insurgendum adversus religionem, nunc etiam sicut antea. Attende igitur cum zelo religioso, beate, et in tempore illo cum Deo placuerit timorem ab adoratoribus suis amovere, tu ne metuas ubi nullus est timor, sed surge diligenter et increpa vehementer ut decet, et quando decet et quomodo decet, et subito tacebunt mortui in sepulchro otii sui, sicut iussit Deus[1]. Corrobora debiles quos regis, si debiles facti sint, non solum spe futura sicut hactenus, sed etiam spe praesenti sicut nunc. Probrosissimum enim est quod pater patris tui, ut ita dicam, super thronum sacerdotii eo ipso tempore quo error vigebat, mortem crucis passus sit pro religione a protervis, et tu, tempore quo quiescit floretque fides, dormias et epistula ad me scripta de saevitate persecutoris mortui queraris, cum negotium tuum coram principibus ut paulisper cognoscatur solummodo
*p. 238. egeat, ut potestas *regia pro te decertet, te etiam quiescente. Stude ergo rei tibi congruenti, frater noster, non solum propter religionem, sed etiam ut probra hominum procul a te reiicias. Dominus corroboret te et incitet te ad faciendum quidquid coram eo gratum est omni tempore per cunctos dies vitae tuae. Vale.

VIII. — Ad Fratres qui in monte Izala sunt.

Quamdiu putabam inter vos esse meos familiares veteris temporis et amicos status mei prioris, iratus eram quia iamdiu mihi haud nunciaveritis quomodo valeatis hoc tempore, neque *petieritis* quomodo valeam in vicissitudinibus quae adversus dignitatem et officium in quibus versor, specialiter positae sunt. Postquam vero audivi neminem inter vos esse ex talibus viris, sed eos senectus et vetustas consuetudinum amovisse etiam a recordatione nostri, non quidem queror propter despectum aut oblivionem, sed primum denuo Excellentiam vestram certiorem facio de cognatione stirpis meae cum patribus vestris sanctis. Filius enim sum, o beati, patris sancti et illustris, qui gloriam coenobii vestri praestantia laborum suorum auxit, et per eum nepos sum eorum, qui hanc et cunctam institutionem sanctam vitae spiritalis generarunt in regione imperii Persarum. Et commendatio Ecclesiae sanctae Domini ex iis apud me

[1] Alludit ad II Tim., iv, 2.

est in promissione fida, quae in sanctuario vestro, tempore *consecrationis*, per participationem mysteriorum, incepit, et in sanctuario Catholicatus finivit post successionem vicissitudinum annorum multorum. Et orationes speciales vos omnes indesinenter emittere debetis in auxilium talis viri. Si inter vos sint veteres, * quorum *p. 239. memoria defecit, et qui oblivioni promissiones patris sui tradidere, reminiscantur, quantum fieri potest, promissionum fidarum, et spe sua gaudeant. Si desint isti, atque vos omnes novi sitis, et nemo inter vos visu audituque illius *viri* mirandi fruitus sit, sinceritas mea vobis suadeat ita miraculum in suo tempore modo prophetico, et nunc reapse, effictum esse. Retributionem orationis et quoque adventus domestici debetis. Oportet etiam vos nobis interdum mandare quomodo vos ducat providentia gratiae Dei, atque scire quae ad nos spectant, et gratias agere Domino nostro pro omnibus his rebus. Si ita agere vobis placeat, agite, et certiores nos facitote quomodo valeatis. Dominus noster vos adiuvet ut voluntatem eius omni tempore faciatis. Orate pro me.

IX. — Ad Marvai sacerdotem et medicum huzaeum.

Motu pulchrae mentis cupivisti occursum nostrum e loco remoto ubi degis, o vir amans Deum, et caritas tua adventum tuum anteivit secundum legem amoris virtutis. Itaque legi quemadmodum mihi scripsisti, et ob celeritatem demonstrationis caritatis tuae spiritalis gavisus sum et Domino nostro gratias egi.

Cum necessitas ignorantiae anterioris postularet ut inquirerem cognationem et qualitatem tuam, multi fuere in synodo generali et coram me fidi laudatores excellentiae tuae iamdiu probatae. Exinde ergo tibi sum retributor non solum salutis per epistulam datae, sed etiam rei quae, excellentior quam paucis enuntietur, amor virtutis nuncupatur, et quam non solum viri boni, sed etiam qui aliter se habent, manifesto possident : * Facile enim est diligere *p. 240. bonum, sicut scriptum est[1]. Quapropter cupidinis causa mihi iam est exspectatio visitationis tuae, et quando occasionem ope Dei invenies, quemadmodum mihi scripsisti quoque te promptum esse ad invisendum nos, occursum Deo dignum nobis gratia Dei impertieris. Donec autem id Dominus noster in misericordia sua concedet,

[1] Cf. *Rom.*, vii, 18.

sub tegmine providentiae eius ab omni detrimento tutus esto. Omni tempore te adiuvet, ut voluntatem eius semper facias per cunctos dies vitae tuae, amen! Ora quoque pro me, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam.

X. — Ad Doctorem scholae Nisibenae.

Quamvis tarde, optime tamen hoc in tempore epistulam Caritatis tuae, frater noster honorate, accepi : tarde quidem ob epistulam, optime autem ob manifestationem quae epistulam anteivit. Mihi enim attulerunt afferuntque cotidie nuncia pro suo more genuinam notitiam a regione vestra velut quoque ab omni loco, sicut necessitas dignitatis et ordines ecclesiastici ut fiat petunt. Per successionem multorum iamdiu vidi pulchritudinem manifestationis tuae in bono statu propter verbum veritatis, dico veritatis, cum appellationem sumo non a persona sed ab ordine et potestate traditionis ministerii ecclesiastici, quia propter inopiam thesauri ministrorum utilium ad me iamdiu, cogente inopia, transmissus est usus administrationis ordinis per gratiam Dei. Si vero de Paulo, *p. 241.* *angelo magno Iesu Christi, et de auxiliatore eius Apolline quaesivit verbum apostolicum[1] : «Quid est Paulus? et quid est Apollo?», quid superest viro miserrimo qui sum, ut a se ipso minister verbi veritatis nuncupetur? Manifestum est quod nihil. Attamen necessitas poscit ut quis, ut hunc in honore sanctorum ponat, laudator verbi veritatis inveniatur : nam magnitudinem gloriae veritatis non imminuit vilitas personae miserae. Solet enim intellectus spiritaliter res intuens earum naturam iuxta vim fidei suae mutare, et quae modo solito et sub sensus ponuntur vis vivificans inspicere *solet* oculis puris cordis.

Si invenerit Excellentia tua, in decursu dierum tentationis, quae quosdam homines paullo ante, sicut paullo ante audiendum erat, personas errantes ostendit esse, ut adversus istas tu proposueris demonstrationem bonam in ordine tibi congruenti, opus tibi congruum te fecisse dicendum est. Decet enim operarios spiritales spiritalem laborem laborare, ubicunque etiam hic obvius sit. Si vero non fortuitum sed ratione peculiari et a longo tempore paratum allatumque a multis sit negotium, cur desineret esse mate-

[1] I *Cor.*, III, 4.

ries pulchrae manifestationis voluntatum christianarum? Id quidem tuum est et eorum qui providentiam occultam optime discernunt manifesto dirigere Ecclesiam sanctam Christi Domini nostri; illos autem, quorum corda in spiritu fidei non baptizata sunt, evidens est putare negotia maiora Ecclesiae sanctae sine providentia esse; et idcirco sponte sua ducuntur iuxta cogitationem mundanam qua vitam suam regunt. Sed mirum est quod etiam huius modi hominibus semper parcere possit *misericordia Dei nostri boni. *p. 242.
Servos Dei decet parabolam in Evangelio propositam observare[1], et «unusquisque nostrum opus suum probet, et tum in se ipso non in aliis sit gloriatio eius[2]». Ego quidem de me ipso confiteor quod homo sum miser et passionibus subditus semperque misericordia Dei egens. Qui eget sane misereri scit, et hoc sciens potest etiam gratias agere cum acceperit non solum a Deo sed etiam a proximo.

Gaudeat igitur Sanctitas tua in pulchro statu propter virtutem. Non enim apud aliquem hominem sed apud Dominum Ecclesiae sanctae per aliquem hominem tibi erit ius bonum in retributionem bonam in die quae dicta est, quando qualitas omnis verbi et omnis operis per manifestationem miraculosam ad cognitionem universalem perveniet; tunc a Domino nostro, domino misericorde, domino diei illius, dignus fias retributionibus bonis in societate sanctorum eius, amen!

Te salutant sancti qui apud nos sunt. Detur salus mea per te ipsum condiscipulis nostris priscis et illis quoque, quos post nos genuit mater communis, Schola sancta nostra. Vale in Deo omni tempore, et ora pro me.

XI. — Ad fidelem quemdam zelotem in urbe Nisibi.

Tibi nuncio, frater noster, me gratia Dei iter facere coepisse ad civitatem throni catholici, et negotia ecclesiastica pulchre gubernari per providentiam Dei circa illa. Tu vero eos, qui a te cognoscere volunt statum rerum nostrarum, certiores fac nobis esse aliquid voluntati Dei gratum, et hoc a benevolentia Dei, et nobis esse rursus *aliquid aliud voluntati mali gratum, et hoc sumus; *p. 243.
quantum autem in illa et in hac re versemur dicent ii qui opera nostra conspicient, unusquisque[3] prout ei placebit. Facile est sane

[1] Alludit, ut videtur, ad Luc., xviii, 9-14. — [2] *Gal.*, vi, 4. — [3] Legendum videtur ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ, pro ܐܝܢܐ ܠܐ.

bonum vituperare; facile est etiam malum laudare. Et utraque res est eorum qui dicunt[1] : «Labia a nobis sunt : Quis Dominus noster est?» Sed scito bene ultorem cuiusvis hominis de rebus Dei a quovis homine pati debere quovis tempore; adeo pauci sint qui vivere volunt. Si vero unus solus ex mille talis inveniatur, ecce scripta est[2] laus eius in sapientia a Deo data[3], et beatus dictus est numerus parvus gregis de quo *sermo est* in Evangelio[4].

Ne ergo labora multum, frater noster, molesta contentione adversus verba mala quae emissa erint. Si enim persecutorem spirituum malorum sub nomine principis spirituum malorum blasphemaverint homines[5], quid superest honori nostro a parte transmissorum lucri mali?

Da nunc requiem animo tuo Dei misericordiae recordatione. Esto in pace, et gaude secundum voluntatem tuam, quia «Deus prope est eis qui eum invocant in veritate. Facit voluntatem timentium eum, exaudit orationem eorum et liberat eos. Custodit Dominus omnes timentes eum, et delet omnes peccatores. Laudes Domini ore meo loquar, et omnes homines benedicent nomini Sanctitatis eius in saecula saeculorum, amen![6]». Esto in pace, et Dominus te adiuvet.

XII. — Ad Saba, episcopum urbis Maḥôzê d'Arêwân.

Accepi et legi quae scripsisti et de sensu animi sensibilis laudabilisque quem inveni in epistula tua gavisus sum et gratias Domino
*p. 266. nostro egi. Intellexi enim dolorem *corporalem qui tibi accidit, sine affectu iudicii a te fortiter sustentum esse, neque ab eo fugiendi tibi, sicut amatoribus corporis, curam fuisse, neque ob eum cogitationem cultus virtutis a te omissam fuisse pro more hominum paucae spei, sed debilitate corporis vim animae apud te superiorem esse, iuvante Deo. Itaque occursum religione Dei dignum mihi obtulit epistula tua, et oro ut fructus optimus tibi laudabiliter crescat. Morbo corporis sanitateque animae et commercio vitae spiritaliter dives eris in die revelationis Domini nostri. Fove ergo spem tuam, et auge eam pulchre incrementis eximiorum operum cotidianis ut auctione incitationum continuarum in te laudetur

[1] *Ps.* xi (Vulg. xii) 5. — [2] Cf. *Eccle.*, vii, 29. — [3] Lege [illegible]. — [4] Luc., xii, 32. — [5] Cf. Matth., ix, 34; xii, 24. — [6] Cf. *Ps.* cxliv, 18-21.

nomen Domini nostri Iesu Christi omni tempore per cunctos dies vitae tuae, amen!

Tibi quidem misi quaestionem sacerdotalem, quemadmodum rogasti, id quod a lectione repetita tenendum est. Ordinem vero actionum agendarum tibi describendum esse mihi non visum est, quia ut e propinquo cernatur poscit; quando ad nos venies, videbis, prout Dominus voluerit. Det Dominus noster in misericordia sua ut celeriter te videamus secundum precationem communem, et occursu solito nobis per te augeatur confessio in gloriam Christi, amen!

Effunde vi salutem nostram super homines qui salutem nostram non libenter excipiunt, et si acciderit ut eam alacriter acceperint, gratias benevolentiae Domini nostri; si aliter evenerit secundum temporis modum, salutem coactam super eos a nobis abundanter sparge per gratiam Dei. Ora, prout mos est, pro pace mundi et pro pace Ecclesiae sanctae atque pro debilitate mea; et Dominus noster sit tibi auxiliator.

XIII. — *Ad Hierosolymitas. *p. 245.

Išō'yahb peregrinus, qui gratia Dei Ecclesiam catholicam Orientis regit, ad amantes Deum, fratres meos dilectos, Mar Eliam sacerdotem et syncellum, Mar Paulum ministrum et archidiaconum, Mar Theodorum ministrum et clericum, et omnes clericos castos Ecclesiae sanctae in Hierosolimis civitate Regis maximi: In Domino nostro Iesu Christo, Deo super omnia, salus vobis crescat.

Rursus venit ad me frater noster carus, Mar Procopius, legatus sedulus Caritatis vestrae erga me, et cum eo etiam Cozma diaconus loci sancti, et mihi asportaverunt epistulas Caritatis vestrae erga me. Cum ex occursu tam grato grate accepissem commemorationes omnium rerum, surrexi protinus, visione fidei, in loco illo sancto sepulchri Domini nostri, cuius servitii gloria vos cotidie fruimini, et figuravi iam ante oculos mentis meae virum pium beatumque, per quem miraculo supra tempus excelso Deus sarsit ruinas civitatis sanctae. Laudavi et laudo Dominum nostrum de miraculo providentiae eius prodigiosissimae. Olim quidem pro templo supra Ierusalem excelso, ut dictum est a Davide[1], ei munera attulerunt

[1] Cf. *Ps.* LXVII, 30.

reges; olim autem ob vitam, quae ex Ierusalem orta est secundum lumen Evangelii, ei gloriam reddiderunt nationes; et nunc cum conciderint umbrae mundi declinantis in finem qui dictus est, ecce inopia tanquam morbus gravis universum orbem cepit, qua laborans *p. 246. quoque, ut videtur, sanctuarium illud *gloriosissimum ad limites desertos habitatorum huius domus communis petitio penuriae suae misit. Quid exspectandum sit ex pauperibus spiritu? Fortasse commutatio derelictionis? Absit! Potius misericordia cum vi auxiliatrici iuncta. Et in ea est probatio libertatis nostrae per prodigium Deo dignum. Si enim nostri curam habemus tanquam homines fideles, fructum patientiae nostrae in tempore congruenti inveniemus. Et ideo, cum vicissitudo praesens ministros sanctuarii supra cuncta sanctuaria excelsi ad aedes habitationis nostrae, iubente egestate, miserit, primum stupuimus; deinde intelleximus; et postea gratias Deo egimus, quia in omnibus vicissitudinibus providentiae suae nos utiliter trahit, ut sanctitat' eius consociaremur, ut scriptum est[1].

Attamen verborum iocum cum animi dolore paulisper miscens ad Caritatem vestram scribo : nam quando indigens ab inope veniam petit, *sine gratiarum actione retribuitur donum*, *hoc est*, *ac si non* esset. Et hoc modo sane revertit nunc etiam a nobis marsupium penuriae vestrae vacuum: et hoc modo quoque fortasse a vobis gratias auxilii nostri, quod nihil est, revertere oportet. Sed, quia ministri estis gazophylacii Domini, de quo locutus est Dominus[2] qui quadrantem viduae pluris quam opes divitum fecit, forte poteritis vos quoque pluris facere paucitatem doni nostri secundum praeceptum Domini nostri. Accipite ita parvum obolum provinciae nostrae magnae, et orate pro pace mundi. Orate autem praesertim pro debilitate mea, ut reliquos dies meos in vita quae voluntati Dei placeat agam.

*p. 247. Detur salus mea per vos in osculo sancto omnibus *amicis Domini nostri qui apud vos sunt, et specialiter Melchisedec et Qaiôma, qui chirographo suo epistulam vestram ad me missam suppeditavere, et specialiter rursus servae Dei dominae Pelagiae. Orate pro me ut misericordia dignus fiam.

[1] Cf. *Hebr.*, XII, 15. — [2] Cf. MARC., XII, 42; LUC., XXI, 1-4.

XIV. — Ad Simeonem episcopum urbis Rēvardašīr.

Išōʿyahb, Fratri nostro honorato Mar Simeoni, episcopo metropolitae *civitatis* Rēvardašīr : salutem in Domino nostro.

Occursum qui illustrat legem spiritalem nobis obtulit Sanctitas tua hoc tempore, frater noster diligens[1] Deum, si non per adventum personalem, ut requirit ipsa lex spiritalis, attamen per missionem viri in ministerio positi et per epistulam salutatoriam secundum promptam voluntatem tuam pulchra amantem. Quando legi quae scripsisti et audivi quoque quae mandasti, gavisus sum et gratias Domino nostro egi. Sed quia in passionibus animae par commotio laetitiae cum moestitia et risus cum fletu miscetur, virtute et memoria necessario iunctis, mihi eadem necessitate contigit, ut non solum de his a te scriptis et missis gauderem, sed etiam cum animo contrito de nuntiis malis dolerem, quae mihi paullo ante attulit tempus e terminis incolatus vestri. Iamdiu exspectabam ut a te nuncium acciperem circa res horrendas, quae patratae sunt in regione super quam constitutus es custos Israelis spiritalis, ecce non tantum usque modo, sed etiam nunc cum scripsit ad me Sanctitas tua de iis quae ita male evenerunt in regione vestra : sed cum mihi et tibi sicut debilibus hominibus in tempore senectutis et profligationis mundi attulerit nobis gratia Dei praefecturam ecclesiasticam, tu nunc non verba senectutis mundi, *sed verba iuventutis mundi mittis in epistula quasi ali- *p. 248.
mentum mendacis gloriae. Cogis me nempe laetari paullulum in voluptate; et dum pessime doloribus cladis communis afficior, non iam pari more contra morem utens respondeo Sanctitati tuae sermonem doctoralem et laudes mendaces, sed in luctu communitatis interrogo Sanctitatem tuam cum lamentatione affligente hoc modo : Ubinam sunt filii tui, o pater *filiis* destitute? Ubi sunt sanctuaria tua, o sacerdos abiecte? Ubinam ingens ille Mazunaeorum[2] populus, quos neque gladio neque igne aut tormentis coactos, solo dimidii bonorum suorum amore captos, velut amentes, protinus voravit barathrum apostasiae, et in aeternum interierunt, dum duo tantum titiones praeusti[3] e flamma impietatis nomine sacerdotii evaderunt et nihilum facti sunt. O! o! o! prae dolore! Ex tot

[1] Lege ܪܚܡ pro ܪܚܣ. — [2] Sic intelligendum est nomen scriptum ܡܙܘܢܝܐ hic et alias; cf. Marquart, *Ērānšahr*, p. 43; Chabot, *Synodicon orientale*, ad voc. in indice geographico. — [3] Cf. Is., vii, 4.

hominum milibus qui christiani appellabantur ne una quidem minima hostia per proprium sacrificium pro vera fide Deo consecrata est. Ubinam sunt etiam Caramaniae totiusque Persidis sanctuaria, quae non expectaverunt eversionem quando veniet Satanas, neque iussum regum terrae aut iussum potestatum mundi? Sed solo flatu exiguo vilissimi daemonis, qui neque daemonum honore dignus habitus fuit ab illis qui ipsum allegarunt daemonibus, neque virtutem doli diabolici a Satana corruptore accepit, et eam in vestra regione patefecit : solo quidem imperii eius nutu totius vestrae Persidis ecclesiae a fundamentis eversae sunt. Vos autem *p. 249. Persae, qui possidetis excellentiam et sublimitatem secundum *opinionem vestram et qui iam nullo auxilio Ecclesiae Dei seu Dei ipsius indigetis, in hoc totali ecclesiarum vestrarum excidio humiles, et mites, et mansueti fuistis, neque manus aut vires corporis adversus templorum vestrorum subversores excitastis, neque robur ostensionemque fidei vestrae adversus eiusdem persecutores exhibuistis, neque instar hominum qui in Ecclesia Dei precibusque sanctorum confidunt, ad eamdem Ecclesiam conversi estis, ut vestram ipsi calamitatem significaretis, opemque precum a sanctis Domini nostri imploraretis, sed stupidi et insensibiles in eo quod vobis accidit infortunio usque in praesentem diem mansistis!

Nunc vero, cum hasce litteras ad me misisti, nihil de istis rebus mihi significasti. Equidem miratus sum valdeque miror. Quod si, cum nondum Satanas in homine peccati, quemadmodum de eo scriptum est[1], advenerit, haec tamen omnia Christianis in Perside totoque austri tractu commorantibus contigerint, quid igitur in adventu ipsiusmet Satanae fiet? Nonne vobis suboritur suspicio cur haec primum vobis prae ceteris ita evenerint? An non inter vos est qui socio suo dicat : Quare isthaec omnia nobis prae ceteris acciderunt? An non inter vos sunt viri zelo accensi qui ob mali gravitatem ingemunt crucianturque? Num fortasse malum prae oculis vestris malum non est?

Profecto si apud vos adhuc servata esset ingenua cogitatio oculo discretionis illustrata, optime cognosceretis undenam sit infirmitatis fidei vestrae causa. Clare utique deprehendere vobis liceret causam infirmitatis fidei vestrae in hac tentationis tempestate ex *p. 250. ipso christianitatis fonte provenire. Fons enim *christianitatis virtus

[1] Cf. II *Thess.*, II, 3, 8, 9.

est sacerdotalis; virtus autem sacerdotalis per canonicam manus impositionem traducitur. Quod si manus impositio illegitime fiat, nequaquam virtus sacerdotalis cum ipsa per traditionem a summis ad ima fluet, quemadmodum a caelo super apostolos et ex apostolis ad eorum successores usque ad consummationem mundi *derivata est.* Si quis ex praevaricatione voluerit rem hanc illegitime capere. nomen quidem rapiet, virtus vero haudquaquam cum nomine promanabit. Alioquin exponat nobis Religiositas tua, cur gloria sanctorum Domini nostri per spiritales mores perque imitationem vitae secuturae resurrectionem in regione vestra minime refulget, quemadmodum eam refulgere videmus in quocunque loco ubi invocatum est nomen Domini nostri Iesu Christi a finibus terrae usque ad vestram Persidem.

Neque enim in his nostris humilibus regionibus multo minor est numerus sanctorum Domini nostri numero eorum qui iugo matrimonii subiiciuntur; et fortasse satis multi sunt ut loco decimarum ex omni numero Ecclesiae sint illi, in quibus, dum traditionem apostolicae vitae per mores spiritales et exemplum vitae resurrectionem secuturae perfecte observant, magnificatur christianitatis decus honore qui eam decet. Et propter robur eorum fidei, quae sollicitudine operum spiritalium confirmatur, operatur quoque per manus eorum Dominus noster varias virtutes ad ostensionem magnitudinis fidei quam habent in eum. Ex iis sunt qui per gratiam Dei ad ministerium ecclesiasticum vocantur, episcopi scilicet, metropolitae, catholici et alii duces gradu inferiores. Quia res ita se habent, decus christianitatis augetur incremento cotidiano per gratiam Dei; fides crescit, episcoporum ordo floret, et gloria Dei extollitur.

Vos quidem soli * ex omnibus populis terrae ab hac tota re alieni *p. 251* facti estis. Et quia alieni estis ab hac tota re, apud vos primum facile invaluit operatio erroris, sicuti nunc est. Nam ille ipse qui vos seduxit vestrasque ecclesias subvertit, apud nos primum in regione Radanensi, ubi maior ethnicorum est quam christianorum numerus, apparuerat, attamen propter gloriam vitae christianorum ne ipsi quidem ethnici ab illo seducti sunt; sed cum dedecore hinc repulsus, non modo ecclesias non evertit, sed ipse potius eversus fuit. Eum nihilominus regio vestra Persica cum ethnicis christianisque suis excepit; et ipse reddidit eos quales volebat : ethnicis quidem consentientibus et obedientibus, christianis vero tacentibus

nihilque reluctantibus. Atqui Arabes isti quibus terrarum imperium hac tempestate largitus est Deus, en apud nos sunt, ut nostis; nec solum christianam religionem non impugnant, verum etiam fidem nostram commendant, sacerdotes sanctosque Domini nostri honorant, et in ecclesias coenobiaque beneficia conferunt.

Cur igitur Mazunaei vestri fidem suam eorum causa deseruere? Idque cum Arabes, ut ipsi Mazunaei fatentur, eos non compulerint ut suam religionem desererent, sed iusserint eos dimidium bonorum suorum duntaxat cedere ad fidem suam servandam. At illi, fide quae in aeternum prodest derelicta, dimidium bonorum huius caduci saeculi tenuere; fidem, quam universi populi cruore cervicum suarum effuso emerunt emuntque, et per quam vitae sempiternae hereditatem capiunt, Mazunaei vestri ne dimidio quidem bonorum suorum emere voluerunt. Cur igitur haec omnia contigerint, sapientibus notum est; si quis aliter haec interpretetur, aceto chordas aspergit[1], timoremque Dei una cum prudentia abiicit.

p. 252. Hoc etiam recole, frater noster diligens Deum : *quod si, sicut fores impositionis manuum episcopatus coram multis Indiae populis occlusistis, donumque Dei, propter corruptibile lucrum ad alendam corporis libidinem prohibuistis; ita et fores doni Domini coram vestra indigentia praedecessores nostri occluserint, quantum desperata nunc esset apud vos res publica, fortasse scire poteritis. Quamdiu tamen per legitimos traductores in canonum semitas donum Dei fluxerit fluetque, ecce plenus est terrarum orbis episcopis, sacerdotibus et fidelibus, qui tanquam stellae caeli de die in diem augentur. At in vestra regione, ex quo adversus canones ecclesiasticos rebellavistis, interrupta est ab Indiae populis sacerdotalis successio. In tenebris longe a lumine doctrinae divinae, quae per episcopos veritatis, habitavit non India solum, quae ab extremis finibus regni Persarum usque ad id quod vocatur Qalah, spatio ducentarum supra mille parasangarum extenditur, sed et ipsa Persis regio vestra. Damnum malumque ex inobedientia huiusmodi parta deprehendere vobis licebit in tremendo illo iudicii die, quando nihil proderit paenitere.

Haec igitur recole, frater noster, attenteque considera praesens nostrum, ne dicam vestrum, periculum. Tu vero qui a mundanis affectibus liber es, quique, ut ferunt, virtutis amore flagras, pro

[1] Cf. *Prov.*, xxv, 20.

viribus tuis enitere, ut vetustam recentemque legum Ecclesiae corruptelam, quae inter vos vestra opera iamdiu inducta est, emendes. Unde peccatum corruptione canonum incepit, et damnum in debilitatem fidei et *relaxationem morum deductum est, sicut nunc, inde de limite altero ad alterum currat sollicitudo correctionis tuae in laboribus qui ad religionem spectant. Id faciens teipsum et eos qui tibi obediunt vivificabis. Ne vero nutibus satanicis rapiatur cogitatio tua ad aliquid contrarium consilio divino, scito, quod quidem iam scis, antistites maiores Ecclesiae Dei rebellione vestra nihil imminutos fuisse. Si damnum sustinuerunt, pro vobis sustinuere, sicut debilitantur patres boni rebellione filiorum indocilium qui, cum elongentur propria voluntate a beneficio et benedictione bonorum parentum, tantummodo parentes suos perditione sua affligunt, sed beneficium et benedictio integre servantur filiis optimis. *p. 253.

Scio, frater noster, scio Religiositatem tuam salutationes et epistulas salutatorias misisse ad praedecessores meos Catholicos, et ab iis ad te vicissim salutationes et epistulas salutatorias transmissas fuisse; et ecce iam mihi quoque salutationem et epistulam salutatoriam misisti. Verum non his servantur canones sacerdotales, qui sunt fidei fundamenta; neque his firmatur debilitata fides, quae vita Christianorum est, nec his perficiuntur virtutum opera, quae alimentum vitae Christianorum sunt, hac praesertim tempestate apud nos ipsos, in quos praedictus a beato Paulo saeculorum extremus finis devenisse videtur[1]. Itaque veritatis amore commotus, frater noster Deum diligens, revertere ad fontem sacerdotalis vitae, ex quo olim vivificum ordinationis spiritalis fluentum ad vos per gratiam Dei promanavit, ut vos sane ipsi profitemini, et fluere facies fluetque ad te iterum vivificum illud fluentum, quod canonice in loco quem fixit Dominus manat, quodque imbrem precum totius Ecclesiae Dei, auxilia scilicet Dei, tanquam aquas cotidie hauriens, *fontem spiritalis vitae ad eamdem Dei Ecclesiam iuxta caelestem dispositionem refundit, cum per indignos mei similes praestantia illius minime deturpetur, Deo nimirum, ut scriptum est[2], virtutem suam in infirmis perfici volente. *p. 254.

Itaque si libuerit tibi, frater noster, quemadmodum scripsisti, ad me accedere, et locum nosse desideras, ubi meam tenuitatem

[1] Cf. I *Cor.*, x, 11. — [2] Cf. II *Cor.*, xii, 9.

convenire in posterum queas, ut etiam scripsisti : noveris me aestivos hosce menses in regione prisci incolatus mei transacturum esse, si vita comes erit Dominusque voluerit. Cum vero autumnale tempus instabit, ad catholicae sedis urbem regrediar, vita item comite Dominoque nostro volente, ibique et hiemali tempore commorabor. Posthaec quod voluerit Dominus noster fiet. Quod autem tibi renuntiatum est me excursionem huc et illuc facere paratum, id quidem decreveram, sed quin exsequerer prohibet tum antiqua corporis infirmitas, quae nunc magis invaluit, tum nova superveniens senectus quae membra viresque corporis debilitavit. Facio itaque quae necessaria sunt, non corporeis quidem viribus, sed sanctorum Dei totiusque Ecclesiae precibus adiutus, quibus et a potentia mortis saepe liberatus sum, et spero fore ut per divinam erga me bonitatem in posterum liberarer.

Quod igitur Fraternitati tuae libuerit fac, modo ante oculos tuos divinum scopum ponas. Ipse autem misericors et benignus Deus noster «qui potens est omnem gratiam in timentibus eum abundare facere[1]» te adiuvet moneatque ut quod coram eo rectum

*p. 255. est semper cunctis diebus vitae tuae perficias, *amen! Salutant te Patres episcopi et Fratres sancti qui apud nos sunt. Saluto universam quae apud vos est sanctam Ecclesiam. Gratia sit nobiscum omnibus, amen!

XV. — Ad Doctorem in urbe Revardašīr.

Accepi et legi quae scripsisti, et de manifestatione tua praeveniente in epistula tua salutatoria erga honorem paternum deque sensu lectionum spiritalium, quibus thesaurum animae tuae implevisti et mihi fructus zeli tui significavisti, gravisus sum et Dominum nostrum laudavi. Iam novisti, quia talis reputaris et reapse es, argumento laudabilium operum exemplum verbale corroborari a cultoribus artis logicae, et persuasione invincibili demonstrationis intellectus gloriam operum perfectorum augeri ab illis, qui simplex nomen servitii verbi caelestis gerunt, «ut sit perfectus homo Dei, ad omne opus bonum, et absolutus[2]». Obsequere igitur praesertim legi apostolicae quae ad hoc spectat, frater noster. Sume tibi e propinquo exemplar virtutum, et perfectio tua lumenque tuum vi-

[1] Cf. II *Cor.*, IV, 8. [2] Cf. II *Tim.*, III, 17.

rum pium imitentur, cuius honore et opere in commodum proxime frueris in tota Perside vestra. Et si singularis nomine et honore es, esto quasi singularis opere et virtute nominis. Scito bene quantum doctrinae spiritalis et praxis spiritalis egeat regio vestra. Cognosce maxime periculum impietatis quae nunc regioni vestrae specialiter instat; nondum quidem peccati homo perditionis filius in mundo apparuit[1], neque vis persecutorum coacte surrexit adversus fidem vestram imbecillam, sed sufficit sola ipsa imbecillitas fidei, quae apud vos vices persecutorum et vices *Satanae *p. 256. gerat.

Quam ob rem igitur, frater noster, corroborare et sollicitus esto in vocatione ad quam vocatus es, et primum cura ne rumores, quos de te usque modo audivi, rursus audiam, sed eorum loco sermonem laudabilem, qui me ad laudandum Deum propter te incitet. Post haec, cura ut tu ipse exemplar virtutum fias non solum populo et sacerdotibus, sed etiam ipsis episcopis qui illic sunt, ut etiam fieri decet. Doctorem enim communitatis meliorem esse quam universam communitatem oportet, non solum virtute sermonis, sed etiam laude operum eximiorum. Attende igitur virtuti quae te decet, frater noster Deum diligens. Cum enim talis eris, ecce nos erga te retributionis debitores erimus, prout Dominus voluerit, non a nobis quidem, sed a gratia Dei quae debilitatem nostram misericorditer ducit. Initium accessionis tuae ad nos incrementis cotidianis tuto corrobora. Ipse Dominus noster, dominus pacis, qui nobis pacem familiaritatis suae benevolenter largitus est, nos in pace caritatis suae cotidie firmet, et in misericordia sua nos corroboret, ut reliquos dies nostros in vita voluntati Dei grata agamus.

XVI. — Ad Mar Simeonem Rēvardašīrensem.

Išō'yahb peregrinus, qui gratia Dei Ecclesiam catholicam Orientis administrat, fratri nostro Mar Simeoni episcopo metropolitae, et episcopis, presbyteris, diaconis fidelibusque provinciae Persidis : in Domino nostro, qui mundum pacificat et perditos invenit, salutem.

Mihi, frater noster, tum ob opinionem quam de te antea concepi, tum ob ea quae dudum mihi mandasti, magna sollicitudo fuit

[1] Cf. II *Thess.*, II, 3 et seq.

ad te rescribendi paullo ante. Quare etiam rescripsi velut viro Deum *p. 257. timenti adhortationes *caritatis spiritalis et debita legalia quae ab unoquoque nostrum debentur officio magno Ecclesiae Dei, cui ipse praefectus es. Flebili stylo tibi animi mei dolorem descripsi et causam addidi ob quam ista vobis hoc tempore acciderunt, vosque maxime adhortatus sum, ut ad sacerdotalem fontem pie redeatis, unde spiritalis vitae fluentum ad universum Domini populum in universo Oriente nostro deducitur.

Iam reapse perfeceram quod beatus Paulus apostolus non solum populis quos ipse edocuerat, sed etiam et Romanis, qui a beato Petro apostolo edocti erant, dare voluit cum dicit[1] : «ut donum spiritale vobis impertiar ad confirmandos vos, et simul consolemur per fidem vestram atque meam». Si vero et iis qui a Petro edocti erant donum spiritale impertiri poterat Paulus, quoties igitur magis quam isti inopia vestra egebat auxilii spiritalis e fonte sacerdotali sumendi, e quo vobis olim manavit fluentum spiritale, cum in fide pie perstabatis. Cum autem ego nunc viderim fidei vestrae debilitatem, e segnitie vel potius ex apostasia quae inter vos accidit, provenire, vos ad me, ad Ecclesiam scilicet Dei, advocavi, ut vobis impertirer donum spiritale quo confirmaremini ad insurgendum adversus ignem apostasiae qui in provincia vestra ardebat, et simul ut consolaremur per fidem vestram atque meam.

Ego quidem hoc modo vobis scripsi. Vos autem velut homines qui fidei aegritudine conflictamini, quam illegitimae ordinationes peperunt, et praesertim quia opinionem mundanam habetis de submissione ecclesiastica, repente adversus Dei Ecclesiam decreto bello *p. 258. vos ipsos obarmastis, cum *secundum perversam consuetudinem vobis insitam creditis eum qui Ecclesiastico primatui sese subdit, non id facere ad suscipiendam spiritus gratiam, sed ad pendendum corporale tributum, quod vos impie alii ab aliis et a remotissimis gentibus Indiae sumere consuevistis. Hac perversa vestra opinione capti, quae a sacerdotibus et christianis aliena est, a legitimo Ecclesiae Dei primatu olim defecistis, vosque ipsos sacerdotali virtute privastis, quae ad vos per legitimam manus impositionem ab ipso fonte Ecclesiae Dei canonice manabat, et vestrae fidei robur detrivistis, quemadmodum hoc tempore exitus monstravit.

Nunc vero, cum ad vos scripsissem, suadens ut ad fidei ex qua

[1] *Rom.*, I, 11-12.

excidistis praesidium vos reciperetis, habita inter vos accurata deliberatione, scripto sigilloque vestram a fide defectionem confirmavistis, ut sanxistis. Immo ad principes temporales syngraphum apostasiae vestrae per stultam epistulam misistis, ut eos accurate doceretis vos christianos non esse, neque mentem habere, quemadmodum per providentiam Dei vobis dictum ab eo ipso ad quem misistis, vos ipsi audistis. Si sane id audivisse fatemini, resipiscite homines miseri. Quid enim amplius vobis fecisset diabolus praeter id quod vobis ipsi fecistis? Si enim vobis quasi malefactoribus vellet quis inferre poenam vestra malitia dignam, id ipsum vobis intulisset quod vobis ipsi intulistis, nempe vos ab Ecclesia Dei alienos faciendo, atque eo adducendo ut e contra in potentia principum saeculi, spem vestram collocaretis. Nobis itaque adiiciendum vobis nihil superest praeter lacrimas, quas etiam pro sociis vestris *Mazunaeis[1] effu- *p. 259. dimus.

Visum est mihi nihilominus velut ad sepulchra mortuorum, quales vos estis, geminos hosce Dei sacerdotes ad vos allegare, Mar Theodorum videlicet episcopum *urbis* Hormizdardašīr, et Georgium episcopum *urbis* Šuštra, ut si fortasse in vobis spiritum vitae ecclesiasticae reppererint, spemque esse ut redeatis ad summum fontem, unde manat fluentum vivificum animae christianorum, nostram de vestra salute sollicitudinem vobis significarent, nosque vobis Dei gratiam sedulo impertiremur, non vero ad nequitiam quam ipsi tenetis a vobis recipiendam, foeda nempe vectigalia quibus assueti estis. Si ad vos persuadendos iuramentis opus sit de moribus christianis in quibus nos omnes christiani vivimus et versamur, iurent vobisque certam fidem faciant, nos non modo bona vestra haudquaquam quaerere, sed nostra potius vobis largituros, ut aequitas postulat.

Vos tantummodo in christiana religione permaneatis, neque ab Ecclesia Dei alienos vos facite; sacerdotii virtutem a thesauro Domini suscipite, quem Dei gratia per apostolicos canones nobis tradidit, et redite in pace ad locum incolatus vestri, ut a nobis reapse perficiatur quod dictum est[2] : «Tanquam nutrix quidem, quae filios suos fovet, ita vos desiderantes cupide volumus tradere vobis non solum Evangelium Christi, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis.» Si ergo, nobis hoc modo

[1] De hoc nomine vide supra p. 179, n. 2. — [2] I *Thess.*, II, 7-8.

apud vos legem apostolicam perficientibus, vos autem apud ipsum sepulchrum, ut ita dicam, spem nostram de vobis praecidítis, per mortem ab Ecclesia Dei, dolore insigni lugentes a vobis recedemus. Et, si necesse fuerit, pulverem etiam de pedibus nostris super vos excutiemus secundum praeceptum Domini nostri[1]. Cui vero magis quam vobis erit requies in die iudicii, vobis sciendum est nisi *p. 260. *nunc, saltem in die iudicii ipso.

Sed oramus eum qui ab initio spiritum vitae in imagine corporea flavit, qui rursus in fine spiritum vivificum in Ecclesia sua sancta flavit, nosque omnes per gratiam adoptionis filiorum maiestatis suae vivificavit, et nomen suum sanctum et veritatemque suam vivificantem in nobis deposuit, ut nomen eius gloriosum glorificeteur in nobis in cunctis generationibus mundi ad salutem et vitam eorum qui credunt; ipse vos quoque laetificet spe renovationis secundae, et mentem vestram ad amorem suae fidei reducat; in corpore suo sancto vos coniungat virtute caritatis suae, et illustret oculos cordium vestrorum, ut intueamini pacis viam et vitae semitam, in quam recte progredientes secundum leges sacerdotales, pervenietis ad regnum et gloriam eius in aeternum per gratiam misericordiamque eius in saecula saeculorum, amen!

XVII. — Ad episcopos Qaṭarenses.

Scriptum est in Evangelio[2] Dominum de eis qui verbum audituri erant dixisse : «Ego veni ut vitam habeant et quid amplius habeant.» Vitam quidem veritatis agnitionem appellat, sicut ipse exposuit cum dixit[3] : «Haec autem est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum, et quem misisti Iesum Christum»; per «quid amplius» designat gratiam Spiritus quem accepturi erant qui baptismum in nomine eius susceperint, et dono insuper honoris eius digni facti fuerint in hac ipsius Ecclesia quae in terris est, et in altera quae in caelis. Quidpiam huiusmodi ad vos pridem scripsi, vosque ut ad me accederetis invitavi, ut non modo virtutem et perfectionem ab Ecclesia Dei acciperetis ad instar illius «vitae» quam commemoravi, sed et ampliorem honorem insperatum, ad instar illius «quid amplius» quod Dominus significavit, consequeremini.

[1] Cf. Matth., x, 14; Marc., vi, 11; Luc., ix, 5. [2] Ioh., x, 10. [3] Ioh., xvii, 3.

Vos autem, similes illis ad quos *olim istud verbum directum fuit, indicavistis quidem vos ipsos neque excelso illo honore per « quid amplius » figurato dignos esse, neque communione Dei, per dictam « vitam » figurata, cum renuistis ad Ecclesiam Dei accedere, et ad defectionis vestrae principem inconsulto impetu profecti estis, et vestram adversus Deum rebellionem mente inopes stulte conscripsistis et sigillavistis; immo, et libellum defectionis vestrae ad tribunal saecularium principum detulistis, omniaque effecistis, ut nulla spes iam supersit vobis vitae ecclesiasticae. Dei itaque Ecclesia, haec nimirum sancta synodus, quae hoc tempore in urbe sedis catholicae congregata est, vobis iam fecit quod ipsi vobis ante feceratis, vos scilicet ab honore et gradu, cuius nomen praefertis, deiiciens. Iustum enim est eos qui se a summo fonte vitae sacerdotalis e caelo fluente exciderunt, sibique solam inanem sacerdotii appellationem sufficere arbitrati sunt, sibi invicem illud conferentes, ipsa inani appellatione omnino privari, ne populis per ignorantiam peccantibus causam vani erroris praebeant. *p. 261.

Nihilominus ego qui frequenter expertus sum a Deo mortuos ad vitam revocari posse[1] supersedendum tantisper a lata adversus vos sententia iudicavi, donec vos per hanc epistulam inviserim, ut si quidem mors vestra a vera spe ad corruptionem interitus minime appropinquavit, sicut de Lazaro ab eius sorore dictum fuit[2], vos Domini virtus, sicut illum, fortasse revocet, et ad vitam ecclesiasticam redeatis, quemadmodum et ille revixit. Sin aliter res se habeat, morsque vestra ab Ecclesia Dei spem omnem vitae excussit, nos vestrum exitium lugebimus, sicut *sociorum vestrorum Mazunaeorum dudum luximus. Vestram itaque sententiam nos quamprimum docete, non tantum per simplicem epistulam, quemadmodum hactenus fecistis, sed sincera operis testificatione. Dominus, per gratiam suam vos adiuvet ut faciatis quod vitae vestrae congruit. Valete. *p. 262.

XVIII. — Ad Qatarenses.

Caritas Christi Domini nostri, fratres cari, quae nobis anima vitae immortalis in Ecclesia sancta apud omnes gentes universi orbis, et vinculum cunctos populos remotos in unanimitate spiritali coniungens, et lux aeterna animas recte credentes illustrans

[1] Cf. *Hebr.*, xi, 19. — [2] Cf. Ion., xi, 39.

est, nos urget ut communi dolore per timorem Dei distincte excitato ad vos cum caritate patris spiritalis vertamur, et vos secundum legem spiritalem visitemus in his quae lex spiritalis agere nos docet. Cum etiam plus quam norma et consuetudo poscunt, erga vos maxima caritate alacriter uti velimus, per epistulam salutatoriam per vestros scilicet episcopos, a longinquo salutationem vestram cupimus, sicut officium ecclesiasticum postulabat. Eos certiores fecimus[1] nos paratos esse ad praebendum ipsis vobisque non solum caritatem nostram maximam erga eos vosque, sed etiam eximium honorem ecclesiasticum, hac tempestate quando valde egetis virtute excellenti opis Dei pro fide vestra muro forti munienda, tempore id exigente, ne gloriae fidei vestrae in Domino nostro fortasse accidat damnum quod accidit populis remotis qui ultra vos degunt[2].

Attamen, cum in mente Deum timenti distincte doluissem tanquam vir, cui cura paternitatis spiritalis cum nomine quod significat «omnipotens in Ecclesia Dei[3]» imposita erat, recte intellexi
*p. 263. ex causa mala *paullo ante patefacta hunc morbum paucae fidei provenisse populis ultra vos commorantibus et fortasse vobis quoque. Volui sicut medicus solers virtute auxilii Domini nostri sedulo curare causam ipsam morbi naturalem, quae quidem eadem erat atque nunc[4]. Neque enim ex traditione ecclesiastica nec e summo fonte vitae virtutis sacerdotalis vobis legitime manat manus impositio sacerdotii secundum legem ecclesiasticam, sed episcopi vestri alii aliis eam invicem conferunt, sicut agunt ab Ecclesia deiecti haeretici, qui sibi appellationem episcopatus tribuunt, virtute tamen nominis privantur. Et idcirco ne exemplum quidem virtutis invenitur inter eos, sive in vita monastica quae est effigies vitae resurrectionem secuturae, sive in operatione miraculorum divina, quae per sanctos Domini nostri effici solent in sanationem aegrotorum et deiectionem spirituum malorum. Cum enim more impio haereticorum turpium episcopi Persidis et vestri ab Ecclesia Dei se ipsos sciderint, apud se sine exemplo fidei fecerunt christianorum fidem. quae per vitam monasticam et operationem miraculorum divinorum innotescit.

Quia vero illic haud erat fides christianorum qualem esse decet,

[1] Cf. epistulam praecedentem. — [2] Mazunaei nempe, vide supra epistulas XIV et XVI. — [3] Sic interpretatur auctor nomen «Catholicos». — [4] Lege : ܐܝܬܝܗ̇ ܗܘܬ ܟܝ ܗܝ ܗܝ ܕܐܝܬܝܗ̇ ܗܫܐ.

flatu minimo aestus australis triste combusta est et in perditionem aeternam relicta est, dum illic nulla christiana gens sacrificia solita per sanguinis testimonium Deo omnipotenti offerret; atque duo titiones praeusti e milibus et myriadibus Domino nostro addictis, vano nomine episcoporum manente, tantummodo supersederunt[1], qui nunc sunt materies tristis memoriae in fletum Ecclesiae Dei, ad instar statuae salis, in quam mutata fuit uxor Loth in memoriam incendii *Sodomae. *p. 264.

Quod si vero ex manus impositione ecclesiastica et canonica pro Persis et iis qui Persis obediunt manassent nomen et decus sacerdotalia, cum ipso nomine manaverit quoque virtus sacerdotalis. Si rursus virtute sacerdotali sanctificatus esset populus fidelis in hac regione de qua agitur, hac tota ruina subita non interierit fides in australi parte mundi. Aut enim in stabilitate constanti confessionem fidei suae immutabilem servaverint aliquot homines, quippe qui in hiatibus terrae, ut ita dicam, eam integram absconderint usque ad tempus quando timor imminutus erit; aut sanguine sancti martyrii fidem suam Domino consecraverint per laudabilem finem gloria Domini nostri dignum. Per haec enim exempla eximia ad nos transmissa fuit virtus fidei orthodoxae a Patribus spiritalibus nostris, quorum traditionem nos omnes in Ecclesia sancta custodiemus usque ad revelationem Domini nostri e caelis.

Quia vero episcopi Persidis ab hac traditione seipsos excidere, eorum vita a spe fidei excisa est, sicut fieri coepit in Mazun[2]. Si Dominus in provincia vestra nullum residuum liquisset, lacrimis aliis opus haberemus in dolorem iuvandum. Hoc enim periculum interitus fidei virtute auxilii spiritalis praevenire et amovere cupiens, episcopos Persidis ad synodum Ecclesiae Dei invitavi ad accipiendam e Domini thesauro spiritalem gratiam secundum synodalem canonem a sanctis Patribus nostris in Spiritu sancto constitutum. Episcopos itidem vestros multa cum caritate et altioris honoris pollicitatione advocavi. Isti vero Ecclesiae Dei beneficium nihili pendentes, aut honorem ex virtute sacerdotali provenientem *nihil reputantes neque christianam religionem ullo modo reverentes, viam vitae, quae ad Ecclesiam Dei ducit, reliquerunt, et viam mortis Persidem versus arripuere, ad perduellionis principem *p. 265.

[1] Cf. supra, epist. XIV, p. 179, l. 34. — [2] Sic legendum est nomen ܡܙܘܢ, cf. supra, p. 179, n. 2.

ecclesiasticarum legum adversarium profecti; christianamque religionem blasphemo libello et impio chirographo abiurarunt, ut hoc pacto a communione Ecclesiae Dei in sempiternum defecerunt. Et ista quidem ausi sunt. Id vero impudenter stulteque agentes, diaboli votum superarunt. Diabolo siquidem sat erat fortasse eorum a fide defectio, sicut et Mazunaeorum. At episcopi Persidis et Qaṭarensium solliciti quomodo plus quam diabolus optasset, christianam religionem libellis stultitiae et chirographo impietatis abnegarent, abiurationem communionis cum christiana religione scripserunt, *signatamque obtulerunt*, ut scilicet non in ipsis tantummodo maneret fidei abnegatio qualis fuit in Mazunaeis, sed etiam posteros *includeret*, si tamen posteros sibi impietate pares habituri sunt.

Ego vero omnem spem abiicere nolens fore ut ab istius impietatis morte quandoque reviviscant, duos episcopos Huzaeorum ad eos qui in Perside commorantur rursus allegavi, totidemque episcopos Mesenensium ad vestros, cum meis universaeque synodi epistulis; illisque mandavi ut zelo spiritus agant cum istis animarum suarum interfectoribus, donec formaretur in iis Christus; utque si isti, abiecta spe resurrectionis, ausi fuerint adhuc adversus Christi Ecclesiam pugnare, ipsi pulverem pedum suorum, quasi super hominum perditorum sepulchra excuterent[1], et ad nos reverterentur, praedicantes super sepulchra illorum segregationem eorum
*p. 266. ab Ecclesia Dei in hoc saeculo et in futuro. Haec nos sic * fieri mandavimus. Et illi quidem, qui ad Persas missi fuerunt, per se ipsos illuc profecti sunt. Qui vero ad vos destinabantur, alios substituerunt. Nunc vero cum quanta ignominia et dedecore atque blasphemia e Perside et e Qaṭarensibus prodierint sacerdotes Dei, qui ab Ecclesia Dei ad homines, qui christiani esse videbantur, missi erant, vos melius quam nos didicistis, si tamen id nosse vobis curae fuit.

Quoniam autem *episcopi nomine vestri impietate inimica* Ecclesiae Dei non saturati essent, ad principes terrestres et etiam ad principem magnum principibus huius temporis superiorem direxerunt manifestationem rebellionis, quam contra administrationem Ecclesiae Dei intulere; et sane a principibus contempti fuere, sicut eorum rebellionem decebat; et quoniam ipsi nondum intelligunt defectionem suam a vita divina, necesse habemus luctibus amario-

[1] Cf. supra, p. 188, l. 4.

ribus de istis quam de Mazunaeis indulgere; et rursus lege spiritali, quae a nobis sollicitudinem paternam erga eos requirit, cogimur vos custodire a communione impia cum illis qui peccaverunt et quidem ab Ecclesia Dei deiecti fuere, vosque nobiscum unanimitate spiritali et vinculo pacifico iungere, ut hereditatem vitae aeternae suscipiatis per Dominum nostrum Iesum Christum, principem vitae nostrae et dominum gloriae nostrae, Deum adorandum.

Vos itaque, fratres carissimi, nosse volumus sententiam illam, quam adversus seipsos in sua ab Ecclesia Dei defectione insani protulerunt per stultitiam Iudae stultitiae similem, a nobis omnibus approbatam fuisse, per sapientiam sapientiae Apostolorum et ipsius Domini nostri similem. Neque enim decebat aut possibile erat, nos mitiores, hoc est sapientiores esse sanctis Apostolis aut ipso Domino; sed contra, eorum exemplo, ab Ecclesiae communione proiiceremus oportebat eos qui Iudae instar *se ipsos ab Ecclesiae Dei communione interemerunt. Et hanc contra eos definitionem aequitate et virtute sacerdotii confirmavimus, ipsos nomine et honore episcopatus, cuius titulum hactenus usurparunt, privantem et ab ipsa participatione sanctorum mysteriorum removentem, donec paenitentiam a nobis impositam agant, et agnita veritate resipiscant, et a laqueo diaboli, quo capti sunt ad faciendam eius voluntatem, se expediant. *p. 267.

Cavete itaque, fratres carissimi, cavete vobis, sancti, a communione virorum istorum, ut gratia Dei digni efficiamini, cuius sacramento obsignati fuistis. Si quod autem sacerdotalis ministerii opus postquam epistula ad vos missa lecta et cognita erit, audeant attentare, admonemus vos, quodcunque huiusmodi ab ipsis attentatum fuerit, omnino vacuum esse Spiritus sancti gratia, idque per audaciam et stultitiam committi, et omni christianae religionis virtute carere. Satagite itaque, ut fidem vestram incontaminatam per timorem Dei custodiatis; et qui verbum Domini nostri contempserit, ira de caelo super eum veniat.

Vos autem, presbyteri et diaconi, honorabile ministerium ecclesiasticum in omnibus legitimis peragite absque communione istorum, qui appellabantur episcopi vestri, donec ab Ecclesia Dei vobis constituatur cathedra sacerdotalis iuxta ritum et ordinationem spiritalium canonum. Vos itidem, fideles, in quorum potestate auxiliatrice sunt insulae et incolae deserti, dico nempe : Deirīn et

Maŝmahig et Talon et Ḥaṭṭa et Hagar; sedulam curam habete hoc tempore quam maxime de custodia vestrae fidei et de legitima constitutione sacerdotii, per quod sanctificati estis, maiorem quam de saecularibus negotiis. Elegite, et mittite ad nos aut istos ipsos profanos episcopos, si quidem iudicatis eos dignos ut nova designatione ad sacerdotale ministerium promoveantur, aut alios quos illis
*p. 268. aptiores *existimaveritis ad magnum opus excelsi ministerii Ecclesiae Dei, ut hoc pacto ungantur et consecrentur et perficiantur et tunc denuo a primo fonte[1] virtutis sacerdotalis secundum legem Christi ad vos remittantur.

Attendite et rursus attendite et maxime attendite, ne dolis satanicis aliquomodo seducemini, ut vitae vestrae inimici fiatis ad instar illorum qui erraverunt. Astutissimus enim est Christianorum adversarius, et multoties multis nocuit. Nunc quidem proximum est tempus adventus eius in homine peccati filio perditionis[2]; et praedixit[3] liber Spiritus non solum ordinem rerum adventum eius indicantium, sed etiam quomodo seducentur multi, electi scilicet[4], sicut peccaverunt ipsi vestri, hoc est episcopi quoad nomen, qui in stultitia sua credentes subiectionem in Ecclesia Dei non esse fontem auxiliorum spiritalium pro iis qui digni sunt, sed servitutem nocivam et damnosam, eam diabolice abiurarunt daemonum exemplo, qui servitutem Dei sui creatoris abnuunt. Nesciverunt et non intellexerunt stulti se ipsos sicut ceteros plena voluntate imperio saeculari huic, quod nunc ubique dominatur, subiici. Illi qui religione christiana iubentur potestatibus Deo subiectis se submittere, imperio soli religionis christianae obedire negant. Cum cunctae potestati, religione christiana excepta, corpore et animo et bonis et omni negotio sedulo obediunt, servitutem religionis christianae solam, servitutem scilicet Dei, abiiciunt rebellantes sicut daemones. Neque enim intellegunt insani nos cuicunque potestati, quod ei a nobis debetur, praestare iussos esse[5] : censum cui census, tributum cui
*p. 269. tributum, *timorem cui timor, honorem cui honor. Servitutem vero legalem uniuscuiusque in caritate sua Christus nobis imposuit non ut a nobis sibi quidquam a bonis nostris detur, sed ut nobis ipse e suo, donum Spiritus scilicet, det, quo firmabimini pulchre suscepturi adoptionem filiorum et regnum Dei per virtutem sacerdotalem,

[1] Ante [illegible] supple [illegible]. — [2] Cf. II *Thess.*, II, 3. — [3] Lego [illegible] loco [illegible]. — [4] Cf. MATTH., XXIV, 24. — [5] Cf. MATTH., XXII, 21; MARC., XII, 14; LUC., XX, 22.

quae spiritaliter e Domino nostro promanat per successores Ecclesiae sanctae secundum spiritalem traditionem immutabiliter constantem et succedentem in Ecclesia, ab aeterno et in aeternum, et cuius scientia et virtute episcopi vestri Persidisque privati sese errori satanico ante adventum Satanae tradidere.

Itaque monemus eos proximum iam esse adventum Satanae, et rebellionem de qua scriptum est iam advenisse, et hominem peccati filium perditionis mox se revelaturum[1]. Et ecce ego vobis sum praedicator fortis et monitor sedulus, ut in timore Domini nostri perstetis, et firmiter parati sitis adversus cunctum errorem homines perditos deturpantem, qui amorem veritatis, quo vivere possent, accipere noluerunt. Surgite nunc et cingite renes vestros veritate. Calceate pedes vestros praeparatione Evangelii pacis[2]. Induamini galea salutis. Carpite gladium Spiritus, hoc est virtutem Dei. Sumite vobis clipeum fidei e thesauro Domini et e potestate legitima, quae dona spiritalia aeque distribuit, et in qua facultatem invenietis extinguendi omnes sagittas accensas mali. Ecce ego vobis sum servus et minister secundum praeceptum Domini nostri[3], non autem oppressor et exactor secundum pravam opinionem eorum, qui seipsos appellabant episcopos vestros, et qui iudicio suo soli fulsi non intellegunt. Quia *per iniquum commercium, nomine *p. 270.
sacerdotii, luxuriam colere solent, de nobis quoque putant nos per iniquum commercium potestatem Ecclesiae Dei detinere. Idcirco insurrexerunt et peccaverunt turpi mente a moribus excelsis gubernatoris ecclesiastici aliena.

Si forte aliqui e vobis ea turpi opinione affligerentur, ad nos veniant et mores nostros exquirant. Bene cognoscent agendi rationem nostram, et fortasse sentient, Deo debilitatem nostram iuvante, Deum esse in Israel spiritali, et auxilia spiritalia e thesauro Domini aeque dispensari in totum populum Domini recte credentem. Confortamini igitur in Domino nostro et in potentia virtutis eius[4], fratres carissimi. Custodite integritatem Ecclesiae Dei per auxilium Dei. Accipite sacerdotalem gratiam a Sancto Sanctorum spiritali, quod Dominus noster in terra mortuorum fixit. Firmamini in fide veritatis. Confortamini in observantia praeceptorum vivificantium. Nobis celeriter significate caritatem fidei vestrae firmamque stabili-

[1] Cf. II *Thess.*, II, 3. — [2] Cf. *Act. apost.*, XII, 7, 8. — [3] Matth., XX, 26-27; Marc., IX, 35. — [4] Cf. *Eph.*, VI, 10.

tatem vestram in religione Domini nostri, et agendi rationem vestram unanimitatemque vestram cum Ecclesia Dei, ita ut nos agendi rationem vestram erga Dominum nostrum noscentes gaudere et propter vos gratias possimus agere Domino nostro. Ipse vos corroboret et sollicitos reddat, ut in caritate fidei eius firmi sitis, et in observantia praeceptorum eius excellatis, et quod coram eo pulchrum est omni tempore per cunctos dies vitae vestrae faciatis, amen!

XIX. — Epistula altera ad Qaṭarenses.

Nuncium malorum quae in regione vestra acciderunt, fratres cari, nos urget ut denuo ad vos scribamus, quando timore malorum aliorum in regione vestra futurorum affligor. Iampridem enim, cum *p. 271. audivissem *libellum ab Ecclesia Dei defectionis ab episcopis vestris impie scriptum et obsignatum fuisse, intellexi in omnia mala eos incessuros et Dei populum, cuius episcopi appellantur, iacturos esse. Primum locutus sum, et scripsi et obtestatus sum, sed non creditus sum, et nunc res quam praesenseram ad exitum tristem pergit cura pravorum rectorum, et si Dominus urbes Qaṭarensium non custodit, rursus flere debebimus.

Audivi enim eximium Abrahamum laudabilissimum et praestantissimum episcoporum provinciae, postquam spem communionis Ecclesiae Dei amisit, protinus sanctos Dei laedere coepisse. Fratres monachos qui coenobio incolatus vestri quasi oblatio sancta Deo omnipotenti consecrati erant, qui in regione vestra exemplum vitae caelestis in manifestationem christianitatis custodiebant, qui in Qaṭarensium provincia oppressorum refugium erant, qui Qaṭarensium ecclesiae turibulum fragrantiae spiritalis erant in honorem gloriae Domini nostri, qui episcoporum Qaṭarensium adiutores erant occulti, per certamen precum, ad ministerium ecclesiasticum cum decore congruente perficiendum, Abraham *urbis* Mašmahig curator imperio tyrannico perturbavit. Tanquam vir impietate inebriatus, sanctum altare e loco sancto sustulit et inquinavit. Quia vero coram oculis eius parvi erat id malum acerbum, quam maxime nocere perseveravit. Quicunque sanctos Domini nostri acceperit aut adiuverit aut donis muniverit, illum anathematizavit eique terribilia minatus est. Spem christianitatis in provincia vestra quasi de seipso eousque abscidit, ut residuos paucos, quos in regione vestra

invenit, e loco immoderata audacia expulerit, vobis omnibus quiescentibus.

Hoc *quidem mirum est. Quod si in regione vestra ita diligantur *p. 272. sancti ut, iis expulsis laesisque et a loco migrare coactis, vos doloris et sensus et verbi et zeli expertes sitis, nil tunc obstat quin in omnes turpitudines concidatis secundum voluntatem principis mali, qui in civitate Mašmahig sub nomine episcopatus regnat. Neque Satanae opus est, ut ipse ad vos nomine Antichristi veniat. Iam factum est apud vos quidquid fieri vult Satanas. Si superest aliquid quod non factum sit, opinamur in Iesu fore ut id tam facile fiat, quam eae res factae sunt. Quia enim minister protervus operum satanicorum tam prospera negotia in regione vestra hoc tempore agit, vosque non solum zelo divino haud commovemini, sed etiam socii perversitatis estis, iam super mundum, super vos nempe ante totum mundum, accidit haec calamitas super mundum ventura.

Idcirco pro debito meo ecce vos adhortor : cavete vobis et fidei vestrae, o viri christiani. Aperite oculos prudentiae vestrae. Cernite malum magnum in regione vestra insitum. Excitate ardenter zelum in vobis contra corruptores fidei vestrae. Expandite manus caritatis vestrae ad Ecclesiam Dei. Perseverate in veritate legum spiritalium. Nunquam remissi estote coram malo, ne malus vos devincat, sed confortamini in Domino nostro et in potentia virtutis eius, atque induite vos omnem armaturam Dei, ut possitis malo obstare[1]. Virtus auxilii Domini nostri in conscientiis vestris oriatur, et oculi cordium vestrorum illuminentur, ut possitis cum omnibus sanctis spem vitae aeternae assequi.

Solliciti maxime estote ut sanctos Dei *apud vos degentes fortiter *p. 273. teneatis, ne cogamini e regione vestra migrare hoc in tempore, quando auxilii sanctorum Domini nostri valde egetis[2]. Consociate vos cum illis in zelo spiritali et in fiducia auxiliorum corporalium, ut cum iis consociemini secundum verbum Domini nostri[3] in tabernaculis lucis in vita immortali et bonis haud perituris. Dominus noster, dominus misericors, fidem vestram insignem reddat per vestrum in leges divinas zelum, et sanctificet vitam vestram per mores sibi gratos cunctis diebus vitae vestrae. Valete.

[1] Cf. *Eph.*, vi, 10-11. — [2] Alludit ad Matth., xxiv, 20. — [3] Cf. Luc., xvi, 9.

XX. — Ad monachos provinciae Qaṭarensium.

Famam pulchrae stabilitatis vestrae erga leges spiritales, fratres dilecti, attulit mihi frater noster honoratus Mar Georgius episcopus metropolita Mesenes, et cupivi vos salutare per hanc epistulam salutatoriam, in qua vobis indico quae iam agere coepistis. Scitis enim, o doctores theologiae, zelo aequo pro veritate Dei omnes eius sanctos a principio usque modo in gloria ecclesiastica elevatos ab eo magnificatosque esse. Cum multi sunt virtutis modi qui homines tam in corpore quam in anima sanctificant, ut familiares Dei fiant, zelus tamen solus plus quam omnes ceteri modi in parte Dei et pro Deo distincte est. Ceteri enim virtutis modi sanctitatem et familiaritatem cum Deo solummodo iis qui eos colunt acquirunt, zelus autem pro veritate angelus magnus est, qui personam gerit Dei in certamine adversus impietatem et perversitatem et peccatum, quae sicut daemones inimica Dei sunt. Gratia enim magna Dei nostri boni misericordisque nobis hominibus imbecillis hoc donum magnum et
*p. 274. mirabile impertita est, ut tanquam milites *spiritales Regis omnipotentis adversus errorem usque ad sanguinem pugnemus, cum sumpserimus arma caelestia sic descripta[1] : «Nam arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Dei.» At quid et quomodo agemus? interrogabit fortasse aliquis. Respondet dux exercituum pugnatorum spiritalium, qui dicit[2] : «Per ea munitiones invictas diruemus, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei; et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci inobedientiam ex iis qui non credunt, cum impleta fuerit obedientia eorum qui credunt.»

Haec enim omnia facit nulla virtus nisi zelus pro veritate Dei. Unde enim Moses princeps prophetarum et humillimus viam Dei inire coepit, nisi a zelo solo? Occidit quidem Aegyptium scelestum et reprobavit Israelitam iniquum. A se honorem regium amovit et in viam prophetiae incessit. Unde rursus Samuel post Mosem incepit, nisi a zelo correptore erga sacerdotem Dei? Unde rursus Elias post hunc incepit, nisi a zelo acerbo contra regem Israelis et a caede terribili prophetarum pravorum? Et ita omnes veteres. Unde rursus Petrus princeps Apostolorum in apostolatu incepit,

[1] II *Cor.*, x, 4. [2] II *Cor.*, x, 4-6.

nisi a correptione sacerdotum Israelis et a morte *Ananiae et Saphirae*[1], *et ab eversione* de summo ad imum Simeonis deceptoris et incantatoris? Unde rursus Paulus vocatione caelesti dignus factus est, potestatem apostolatus suscepit, homines exempla regni caelestis docuit, et fixit in terra ad instar rerum caelestium Ecclesiam sanctam *in omnibus* sub caelo gentibus? Nonne id factum est quia plus quam ceteri homines spiritales adversus cunctos *aberrantes *p. 275. in universo orbe zelo forti usus est? Propterea vero quod mundus peccatorum zelo eius pro veritate non sufficiebat, quandoque adversus principes ipsos apostolorum et columina Ecclesiae vim zeli sui direxit ob eorum pertinaciam circa circumcisionem[2]. Unde rursus Stephanus princeps martyrum in via martyrii incepit? Nonne a reprobatione Iudaeorum?

Quomodo autem omnes successores apostolorum et martyrum confessionem suam in Ecclesia sancta fixerunt, eamque ad nos per *vicissitudines miras transmiserunt, nisi* per zelum fortem pro veritate Dei? Alii quidem, sanguine martyrii effuso, sanctificati sunt mortibus variis, et vitam huius mundi repudiaverunt : ecce vivunt nunc nobis per operationem virtutum divinarum, atque inter homines miranda numina sunt. Alii vero exiliis variis et suppliciis diversis decus huius mundi abnegarunt : ecce permanet hodie memoria nominum eorum in Ecclesia fons auxilii pro populo Dei. Hi profecto omnes, qui pro fide sua confessores fuere, per nihil aliud quam per zelum pro veritate Dei a Deo honorem huiusmodi susceperunt, et dono vitae aeternae digni facti sunt.

Id igitur exemplum certaminum spiritalium cum sapientia vestra in hoc tempore probationis, perspectum haberet, fratres dilecti, effigiem exactam praebuistis per zelum pro veritate in eos directum, qui animae suae inimici fuere in regione incolatus vestri, et a se abiecerunt bonum nomen *et decus episcopatus* quo fruebantur; et propterea quod non valuerunt sedulo statuere veritatem Dei per zelum pro legibus spiritalibus : ecce hodie eos vestri zeli merito pudet, quia reversus est *ad vos honos sacerdotalis ab Ecclesia Dei *p. 276. ob iustum zelum vestrum pro Ecclesia Dei, et per vos in provincia incolatus vestri nomen et decus fidei custodita sunt cum gloria convenienti.

Quoniam providentia misericors Dei circa vos ad hanc tantam

[1] Cf. *Act. Apost.*, IV, 6; VI, 1 et seq. — [2] Cf. *Gal.*, II.

excellentiam vos deduxit, ita ut laus fidei vestrae ubique nunc praedicetur propter aequum zelum vestrum pro veritate Dei, iustum est, sicut iam factum est, pro vobis fieri orationem perpetuam et benedictionem perpetuam a nobis et a tota Ecclesia Dei. Dominus Iesus Christus, dominus gloriae, Deus noster adorandus et Rex noster misericordissimus, secundum copiam gloriae suae vobis det ut in virtute per spiritum eius confirmemini, et in homine vestro intimo per fidem et in cordibus vestris per caritatem habitet Christus, radice vestra et fundamento vestro tam firmiter fixis, ut cum omnibus sanctis intellegere possitis qualis sit altitudo et profunditas et longitudino et latitudo[1], crescatisque in scientia gloriae Christi, et tota plenitudine Dei impleamini. «Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intellegimus, secundum virtutem quae operatur in nobis : ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculi saeculorum, amen[2].»

Epistulam communem, quam ad universos clericos fidelesque regionis vestrae dedi, legite diligenter coram universo clericorum fideliumque coetu, iisque viam veritatis legemque ecclesiasticam ostendite. Similiter, et synodicam epistulam quae ad vos vestrosque episcopos pridem scripta fuit, necnon et illam quae de Simeone p. 277. Rēvardašīrensi exarata est. Earum enim exempla sigillo *meo obsignata transmitto. Mitto etiam exemplar epistulae, quam olim ad Simeonem, qui episcopus Rēvardašīri dicitur, scripseram, ut cum legeritis, intellegatis illum ex bono consilio, quod ipsi dedi, et ex adhortatione ad Dei cultum, quam ad eumdem habui, commonefaciens ipsum ut quae ad suam ipsius totiusque Ecclesiae Dei utilitatem ducunt, hac tempestate faceret, occasionem adversam ad abrogandum christianismum arripuisse, vilesque episcopos vestros ad idem flagitium pertraxisse. Praeterea mitto exemplar epistulae alterius, quam ad eumdem *Simeonem* postea scripsi, ut hac in re quid vos oporteat facere, clare cognoscatis. Perficite igitur omnia cum sollicitudine et prudentia et timore Domini nostri, quemadmodum in epistula ad communitatem vestrum omnium scripsi. Mihi scribete et sedulo indicate quidquid agitis. Dominus noster vos corroboret vosque incitet ad agendum quod coram eo pulchrum est omni tempore per cunctos dies vitae vestrae. Valete.

[1] Cf. *Ecclesi.*, I, 2. — [2] Cf. *Ephes.*, III, 20-21.

XXI. — Ad eosdem monachos provinciae Qaṭarensium.

Scriptum est in sancto Evangelio[1] os vivificans Domini nostri dixisse : omnia fieri posse ei qui credit, ea scilicet etiam quae natura sua fieri non possunt. E contra, per antithesim comparativam concludendum est : nihil fieri posse ei qui non credit, ne ea quidem quae natura sua fieri possunt. Quia vero morbo incredulitatis iampridem laboravit *prave populus stultus Persarum et Qaṭarensium, ipsis nihil fieri potest ex iis quae populo Dei ubique fiunt. *p. 278.

Per duas demonstrationes firmatur fides perfecta christianorum : per vitam quidem sanctam, et per miracula divina quae eorum ope perficiuntur; et magis quam per istas ambas, per hoc, quod morte sua vitam fidei suae comparant. Tria vero ista mirabiliter efficiunt ii, quia antea vim Spiritus sancti baptismo sacramentali susceperunt. Spiritus autem ipse aeque et iuste datur virtute sacerdotali Ecclesiae sanctae Dei collata per manus impositionem et traditionem apostolicam, quae in Ecclesiam sanctam Christi Domini nostri canonice promanavit.

Quia vero ab ista traditione se deiecerit populus stultus Persarum et Qaṭarensium, ecce omnibus istis bonis laudabilibus christianorum omnino privantur, et dementer solliciti sunt ut communionem cum Ecclesia sancta Christi Domini nostri abnuant, plus quam daemones. Coram eorum oculis vilia sunt et habitus castus et nomen venerandum quae vos geritis quibusque honoramini, monachorum scilicet. Vos tanquam a fide sua alienos e regione sua detruserunt, et tanquam abiectos a communione sua expulerunt; neque audacia ipsorum confusa est coram habitu et nomine vestro; neque fides, virtus nempe vestra, eorum rabiem domuit vi operationis miraculosae, aut zelo vestro pro veritate, aut signo auxilii Domini nostri, quod merito conceditur eis qui recte credunt.

Cur ista omnia? interrogabit fortasse aliquis. Profecto ob imbecillitatem vestrae fidei. Cur autem imbecilla est vestra fides? interrogabit fortasse aliquis. *Profecto quia imbecillum erat sacerdotium, e quo virtus fidei procedit. Cur rursum imbecillum est sacerdotium vestrum? interrogabit fortasse aliquis. Profecto quia non e traditione Ecclesiae Dei vobis manat virtus sacerdotalis secundum legem ecclesiasticam, sed cum inanitate vana et cogitatione mundana eam *p. 279.

[1] Cf. Matth., xxi, 21, 22; Marc., xi, 24.

sibi invicem mutuo dant et accipiunt eorum episcopi mundani, quasi de negotiis saecularibus, quibus assueti erant, ageret. Quandoque etiam pro pecunia vili nomen ipsum episcopatus emunt, sed nullo modo ei adnexa est virtus sacerdotii ecclesiastici. Et proptera in hac tanta debilitate fidei estis, vos et episcopi vestri et fideles vestri. Vos vocavi, et conatus sum vobis donum Spiritus dare quo confirmemini. Sed neque episcopi vestri ad me venire voluerunt donum gratiae Dei suscepturi; neque vos fidelesque vestri voluistis vos segregare et amovere a Dathan et Abiram et Core, sacerdotibus vestris falsis[1], et Ecclesiae Dei adhaerere. Vos autem, qui estis sane electi et sancti Qaṭarensium, paulisper ferbuistis et celeriter friguistis; ad fidei debilitatem naturae vestrae cito reversi estis. Inter vos, alii ad communionem iniquam iam reversi sunt, alii se reversuros esse minantur. Mihi angustias vestras quasi lacrimis epistularum descripsistis, et a me permissionem pravam petivistis ut cum impiis, nomine sane christianorum, consociemini. Haec quidem petitio debili fidei vestrae valde congruit. Quod si sacerdotium verum episcopi Persarum et Qaṭarensium habuerint, a communione eorum vos non cohibuissem, nec ipsis scripsissem ad *p. 280. me venire. *Neque enim ullo modo mihi utile erat eos ad me convocare, quasi vellem, sicut opinantur atque in stultitia sua dicunt, eos subiugare. Principatus enim noster, Ecclesiae scilicet sanctae Christi Domini nostri, e suo aliis dare[2] scit et facit, non vero ex aliis aliquid tanquam suum accipere. Principatus autem Persarum et Qaṭarensium, quia non ab Ecclesia Dei manat neque secundum leges sacerdotales procedit, ab aliis accipere scit et solet, non vero e suo aliis dare. Et ideo fugiunt ab obedientia Christi, quem non cognoscunt neque cognoscere cupiunt. Itaque fugiunt ab obedientia eius sicut daemones.

Ecce enim plus quam viginti episcopi et duo metropolitae in Oriente sunt, qui ab Ecclesia Dei susceperunt et suscipiunt manus impositionem episcopatus, et nullus eorum inde a pluribus annis ad nos venit, neque nos ab iis venire postulavimus, sed procul episcopatum suum in communione cum Ecclesia Dei ministrant, accepto ex nobis ut congruum est munere sui sacerdotii; nobis scribunt, ipsis scribimus. Si tales fuissent episcopi nomine Per-

[1] Cf. *Num.*, xvi, 1, 32; xxvi, 9; *Deut.*, xi, 6; *Ps.* cv, 17; *Ecclesi.*, xlv, 22. — [2] Hic in codice iterum «e suo» appositum est.

sarum et Qaṭarensium, nunquam ab iis rogaverimus ad nos veniant, neque repudiaverimus quae ab iis sacerdotii nomine gesta sunt; sed quia tales non sunt: a virtute sacerdotii destituti, et ab Ecclesia Dei reiecti, stulte quidem a nobis petivistis permissionem communicandi cum eis in operibus sacerdotalibus, quae ab ipsis ministrantur, quia iis deest virtus gratiae Spiritus sancti.

Si enim mente *prudenti non carebant episcopi vestri et vos quo- *p. 281.
que, ex habitu ipso quo fruimini, id intellegeritis, quod, sicut christiani apud vos commorantes non possunt christiani esse absque sacerdotibus, aut sacerdotes vestri non possunt sacerdotes esse absque episcopis, sic episcopi non possunt episcopi esse absque metropolitis, et sic rursus metropolitae non possunt metropolitae esse absque patriarcha; et ipse patriarcha, qui est pater principum seu caput patrum, si non ab episcopatu ad patriarchatum provehitur, metropolitae certi a canonibus designati sunt qui ei manus imponerent, et si id non peragitur, sine virtute est eius officium. Quoniam haec ignorant Persae et Qaṭarenses ob ignorantiam suam legum Dei, ab Ecclesia Dei se ipsos segregarunt, gratia Dei privati sunt, et inopes facti sunt.

Si Qaṭarenses Persis stultiores non fuissent, sibi ipsis episcopos fecerint, quando tam facile est episcopos fieri; et neque necesse habuerint Persas adire qui eos facerent. Persae enim sibi episcopos faciunt, et eos metropolitas appellant. Si quod Persae sic faciunt rectum esse putant Qaṭarenses, idem et sibi faciant. Si autem dicunt hoc non faciendum, sciant nihilum esse quod Persae sic agunt. Haec quidem non intellegentes, Qaṭarenses Persis et omnibus stultis mundi stultiores sunt. Si dicunt, ut reapse dicunt, pro more iamdiu inveterato insanitatem hanc se secutos esse, sciant se haud pro more Ecclesiae Dei christianos esse, sed *pro more insanitatis, et *p. 282.
vix discrepare a Severianis et Iulianistis et Marcionitis, qui ipsi quoque ab Ecclesia Dei discessere, et pro more suae insanitatis, non vero pro more et communione Ecclesiae Dei, nomen christianismi et episcopatus retinuerunt. Quod si tam imbecilli in fide vestra sitis, ut nihil utile facere possitis quia ab eo estis[1]: liberate tantum vitam vestram a communione cum impiis; celeriter aufugite ad Ecclesiam Dei; perficimini merito in gratia Spiritus;

[1] Locus obscurus; forsan ܕܡܢܗ [ܘܐܠܗܐ ܠܐ] ܐܝܬܝܟܘܢ «quia a Deo non estis» (?). Cf. Ioh., ix, 33.

et delectamini in vita sanctitatis, ut vitae vestrae requiem inveniatis.

Multas epistulas ad provinciam Qaṭarensium scripsi : alias ad episcopos nomine; alias ad singulares personas; et alias ad Nimparuk, filium Dustar, ex Ḥaṭṭa; easque ad Nimparuk interdum mittebam, cum putarem eum omnes eas unicuique legendas daturum. Sed, sicut nunc ipse mihi scripsit, nullam earum alicui ostendit, non solum ex eis quae ad eum scriptae erant, sed ne ex eis quidem quae ad alios scriptae erant. Si ita egit, pessime egit. Vos autem ab eo petite omnes epistulas, quas pro ipso et aliis exaravi, et legite eas coram omnibus, quia ibi forte reperietur unus qui timorem Domini habeat, et metuat malum quod impietate erga Deum Qaṭarensium populum inquinat; et ibi forte reperientur aliquot qui, epistulis lectis et intellectis, fortasse ingemiscent et cruciabuntur super stultitia episcoporum nomine Qaṭarensium et super segnitie et miseria christianorum nomine, qui errori subiiciuntur. Si vero, quamvis quae scripsi legerint, malum in quo versantur non sentiunt, pro iis fortasse iam expletae sunt culpae Amorrhaeorum, *p. 283. sicut scriptum est[1], et nunc perditionis *ultimae tempus est. Dominus populo suo parcat et in misericordia sua Ecclesiam suam sanctam ab omni detrimento custodiat usque ad revelationem suam ultimam, amen! Valete! Dominus vos adiuvet ut voluntatem eius omni tempore faciatis, amen!

XXII. — Exemplar epistulae quae scripta fuit a Catholico Išōʿyahb Adiabenensi ad Edessenos.

Išōʿyahb peregrinus, per gratiam Dei servus ministerque Ecclesiae catholicae Orientis, ad amantes Deum, fratres meos dilectos, Mar Iohannem archipresbyterum, Mar Theodorum archidiaconum, Mar Andream fidelium principem, et ad omnes clericos et fideles Ecclesiae sanctae urbis Edessae : In Domino nostro Iesu Christo, mundi luce, pax vobis crescat.

Cum nos dignos fecisset Dominus noster ut paucos dolores pro veritate gustaremus, fratres mei cari, inter fratres nostros, qui pro nobis fuere receptacula a se ipsis parata ad dolores pro veritate excipiendos, in civitate Domini fortis, in civitate Dei nostri, nobis

[1] Cf. *Num.*, xxi, 21; *Deut.*, ii, 26; *Iud.*, xi, 19.

dedit facilem appellationem exilii eximii in loco scilicet sancto, quem ex omnibus regionibus universi orbis discrevit Dominus omnipotens, ut fieret thronus sanctus imaginis vultus sui adorandi et ostenstionis suae gloriosae. Pro Oasi famosa[1] in Edessam[2] dilectam vestram, locum in exilium quietis[3] nobis mutavit Deus, qui corpus nostrum humile transformaturus est, ut corporis sui gloriosi simile fiat[4]. Vos autem, populus sanctus, plantatio laudabilis Domini, manus fidei vestrae expandistis in alacritate amoris peregrinorum, nosque amplexi estis in caritate *Christi tanquam angelos Christi. *p. 284. Res, ordine omnino inverso, in modum excellentem mutatae sunt pro nobis per vos a Domino Iesu Christo, gloriae domino et rege nostro misericordissimo. Etenim pro Ṣoba[5] nostra, quae nobis fuit Oasis per longos menses, in Edessam vestram mutatus est nobis locus quietis; pro carcere in Ṣoba nostra, quem nobis paraverunt filii dilecti nostri, nobis Fraternitas vestra supra aedes excelsas sanctuarii Altissimi triclinia regia paravit, quae splendore suo paullo meliora sunt quam palatia Orientalium; pro pane afflictionis et aqua afflictionis, quae nobis dederat caritas filiorum nostrorum, super nos sollicitudo caritatis vestrae, advenas amantis, panes mundos potusque claros et convivia optima profudit, quae iucunditate sua parvo meliora sunt quam mensa celebrata Salomonis. Quod vero munificentia sua domum et nutrimentum et voluptatem corporis superat, in sanctuario mysteriorum vivificantium, in quibus abscondita est salus vitae nostrae, id nobis dedit caritas sancta vestra. Praeter quidem haec munera caelestia terrestriaque, quibus exilium nostrum in regnum caeleste transformavistis, hoc contigit quod contingere decebat, ut nempe per colloquia dilecta cotidiana, in quibus laudabatur nomen Domini nostri Iesu Christi, nos suaviter delectaretis sicut delectavistis nos, adeo ut nos loci incolatus nostri et consuetudinum in natura inveteratarum iam obliti erimus. Omnium ergo harum rerum insignium, fratres carissimi, vos ministri seduli fuistis per gratiam Dei, et nos receptores fuimus parati per misericordiam Dei; et eae res reservantur, ut caritati vestrae retributionem obtineant in magna die Domini nostri Iesu Christi per beatitudines, quae paratae

[1] Legendum hic et infra ܗܘ ܐܘܐܣ, vel forte ܐܘܐܣܐ (ἡ)Αὔασις. — [2] Ἔδεσσα; nomen graecum pro aramaico (Urhai) adhibet ut ludat in consonantia vocum. — [3] Legendum videtur mutato ordine ܠܐܟܣܘܪܝܐ ܐܬܪܐ ܕܢܝܚܐ; cf. text. p. 284, l. 6. — [4] Cf. *Philip.*, III, 21. — [5] Est aliud nomen urbis Nisibis.

*p. 285. sunt *sanctis in regno caelorum, in vita immortali, in luce inextinguibili, in gloria perenni, in saecula saeculorum, amen!

Nunc vero, fratres carissimi, propterea quod nos anteivistis in caritate erga nos secundum legem Christi, nosque caritati erga vos secundum legem Christi subegistis, et iamdiu eradicavistis[1] per manifestationem fidei vestrae etiam septum a Satana inimico gloriae christianorum positum, et nobis ostendistis orthodoxiam fidei in cordibus vestris insitae, quamvis paullum deficiat confessio oris[2], nos igitur decet et etiam debemus pauca de spe christianitatis vobis breviter scribere ut, cum bene sciveritis quod scimus, quam maxime nobiscum gratiam Dei bonitati erga omnes agatis, et quam maxime in spe vera fidei vestrae in eum gaudeatis :

Dominum nostrum Iesum Christum adoramus nos omnes, o fratres dilecti, non solum nos qui veritate illustramur, sed etiam illi qui in errore ignorantiae palpant tanquam caeci; peccatoribus vero Dominus noster Iesus Christus est lapis scandali et petra offensionis, ut scriptum est de eo in propheta[3]. Nobis autem recte credentibus Christus est virtus et sapientia Dei, sicut quoque Simeon sacerdos, cum in ulnas suas eum accepisset et de gloria eius vaticinaretur, addidit dicens[4] : «Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur», et non solum in Israel carnali, sed et in Israel spiritali.

In tria quidem capita dividuntur omnes errores diversi haereticorum, et a tribus capitibus generantur omnes species multae et variae haeresum. Haec sunt capita erroris : alii quidem dicunt
*p. 286. Christum non esse Deum, *sed hominem solummodo; alii vero dicunt Christum non esse hominem, sed Deum solummodo; et alii rursus dicunt eum quidem esse et Deum et hominem, sed non Deum in veritate, neque hominem in veritate. Aut enim naturam divinitatis eius diversam faciunt a natura Patris; aut, cum dicunt eum Patri consubstantialem, alienum a Patre rursus eum faciunt per passionem et mortem, quas ei imputant et exinde etiam mortuum esse Deum temere blasphemant. Necesse enim est ab ipsis concludi : si Filius Patri consubstantialis mortuus est, neque Pater a morte immunis est, neque Spiritus sanctus. Quomodo non tremeret terra, non trepidaret caelum, non gemerent angeli, non

[1] Lego ܥܩܪܬܘܢ pro ܥܒܪܬܘܢ. — [2] Cf. *Rom.*, x, 10. — [3] Cf. Is., viii, 14. — [4] Luc., ii, 34.

tonitru et fulgure cieretur aether, non occultaretur sol, non urerentur homines perirentque impietatem hanc et blasphemiam hanc audientes?

Hoc quoque modo de humanitate Domini nostri dicunt : aut quidem non eiusdem naturae atque nos eum fuisse, et ideo neque passionem neque mortem nostram passum esse eum qui mortem per mortem suam solvit, et hac ratione in stultitia sua naturam nostram spe salutis frustant; aut, quamvis eiusdem naturae ac nos fuerit, haud tamen perfectum fuisse in cunctis rebus naturae sicut nos. Haec autem isti : ex eis vero alii in blasphemia dicunt sine anima esse corpus Domini nostri; alii, sine mente; alii, sine natura; alii, sine hypostasi; alii, confitentes eum cum his omnibus assumptum esse sed per eas tamen iam non cognitum et in divinitate absorptum, et fere nihilum factum esse dicunt. Per haec omnia spem naturae nostrae frustant salute quam nobis contulit Deus, et nomine omnibus nominibus praestantiore, et adoratione omnis genu et laude *omnis linguae[1]. * p. 287.

Hi sunt diversi haeretici, a quibus multiplicata sunt scandala iniquitatem efficientia nomine christianismi. Ipsi corpus ecclesiasticum in multas et adversas partes diviserunt. Ipsi verba divina Evangelii sancti partim reiiciunt; qui enim Christum esse solummodo Deum dicunt, dimidium Evangelii solum accipiunt, verba scilicet et facta quae divinitatem eius solam indicant; qui rursus Christum esse solummodo hominem dicunt, dimidium Evangelii accipiunt, verba nempe quae naturam humanitatis Christi ostendunt, et dimidium Evangelii reiiciunt, verba nempe quae naturam divinitatis eius indicant. Ex utraque quidem distinctione Evangelium totum abiicitur. Et illi etiam, qui divinitatem Christi non in hypostasi vera confitentur, et humanitatem Christi non in hypostasi perfecta confitentur, totum Evangelium Christi reiiciunt, et hallucinationem defectus divinitatis ponunt super hypostasim divinam Christi per passionem et mortem, quas blasphemia ei tribuunt; et hallucinationem rursus defectus humanitatis ponunt super hypostasim humanam Christi non confitentes hypostasim eius humanam. Ita etiam passibilitatem et mortalitatem, quas in hypostasi sua humana gessit pro salute nostra, non super hypostasim humanitatis eius, sed super hypostasim divinitatis eius ponunt. Passiones enim

[1] Cf. *Philip.*, II, 11.

naturae humanae inhaerentes a natura eius per negationem auferunt ipsi, et eas super naturam a qua alienae sunt per confessionem pravam ponunt. Immortalitatem, quae naturae nostrae per primitias e nobis ortas data fuit, a natura nostra tollunt tanquam inimici naturae nostrae. Si profecto non in hypostasi nobis consubstantiali fuit mortalitas[1] nostra in Christo Domino nostro neque in immor-
*p. 288. talitate Christi *Domini nostri est naturae nostrae participatio, spes nempe immortalitatis. Ita nos spoliant isti christiani falsi spe resurrectionis et immortalitatis, et opinionem hallucinationis erroneae super totum Evangelium ponunt. Evangelium autem cum dico, non solum Matthaeum et Marcum et Lucam et Iohannem dico, sed etiam Paulum et fortasse etiam amplius : Christi quidem os est, quod ubique distincte loquitur; et adversus istos cotidie blasphemant qui verba vera Evangelii pro imaginatione eorum opinionis commutant. Nos vero, Ecclesia scilicet Christi Domini nostri, veritatem Evangelii tenemus. Secundum sensum Evangelii novimus et confitemur Dominum nostrum Iesum Christum, gloriae dominum, Deum nostrum adorandum, regem nostrum misericordia plenum, esse Deum verum in natura et in hypostasi divina, qualis est hypostasis Patris et hypostasis Spiritus sancti : «In principio[2] enim erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso[3]............

[1] Legendum ܡܝܘܬܐ. — [2] Ioh., I, 1-5. — [3] Hic desinit codex Vaticanus mancus in fine. Apographon huius codicis, e quo procedit codex Parisinus, citationem Evangelii sic complevit : «factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum : et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.»

I

INDEX NOMINUM

QUAE OCCURRUNT IN EPISTULIS.

II

INDEX BIBLICUS.

EMENDANDA IN TEXTU SYRIACO.

Pag. 65, l. 19, lege ܐܫܬܝܚ pro ܐܫܬܝܚ

Pag. 70, l. 28, lege ܡܫܟܚܐ ܗܘܬ pro ܡܫܟܚܬ ܗܘܬ

Pag. 89, l. 11, lege ܚܕܪ̈ܐ pro ܚܪܪ̈ܐ

Pag. 89, l. 22, lege ܫܪܒܐ pro ܫܪܒܠ

Pag. 132, l. 3, lege ܘܣܒܪ pro ܘܣܒܕ

Pag. 139, l. 23, lege ܕܣܘܒܪ̈ܢܐ pro ܕܣܘܒܪ̈ܢܐ

Pag. 141, l. 21, lege ܐܠܗܐ pro ܐܠܗܝܐ

Pag. 141, l. 26, lege ܠܡܫܬܠܛܪܘ pro ܠܡ̈ܫܬܠܛܪܘ

Pag. 147, l. 14, lege ܘܫܠܛܦܝܐ pro ܘܫܠܛܦܝܐ

Pag. 150, l. 5, lege ܡܫܠܦܝܐ ܠܐܫܪ̈ܐ pro ܡܫܠܦܝܐܠܐ ܫܪ̈ܐ; — l. 8, lege ܗܘܐ pro ܗܘܬ

Pag. 151, l. 26, lege ܕܫܒܝܚܘܬܐ pro ܕܫܒܝܚܘܬܐ

Pag. 180, l. 21, lege ܡܬܕܒܪ ܐܢܬ pro ܡܬܕܒܪ ܐܢܐ

Pag. 185, l. 16, lege ܐܡܝܢܘܬܐ pro ܐܡܝܢܘܬܐ

Pag. 187, l. 2, lege ܠܘܣܒܠ pro ܠܘܣܒܬ

Pag. 193, l. 6, lege ܐܒܪ̈ܘܗܝ pro ܐܒܪ̈ܘܗܝ

Pag. 195, l. 4, lege ܦܫܛ pro ܦܫܛ

Pag. 219, l. 7, lege ܕܗܒܢܐ pro ܕܗܒܢܐ

Pag. 227, l. 3, lege ܕܠܡܣܒܠܗ̇ pro ܕܠܡܣܒܠܗ

Pag. 231, l. 6, lege ܒ pro ܒܝ

Pag. 232, l. 8, lege ܐܘ pro ܘܐ

Pag. 242, l. 29, lege ܐܬܘܗܝ pro ܐܬܘܗ

Pag. 247, l. 10, lege ܪܫܡ pro ܪܫܡ

Pag. 263, l. 5, ante ܐܬܘܗ̇ ܗܟܐ, adde ܐܬܘܗ̇ ܗܘܬ ܠܒܪ ܗܕܐ ܗܘ ܗܕܐ ܕܐܦ

Pag. 275, l. 14, lege ܐܠܗ̈ܐ pro ܐܠܗ ܐ

Aliquot nomina propria omissa sunt in indice syriaco : ea facile supplebit benevolus lector ex indice latino versioni adnexo.

INDEX TOMI LXIV

De Išō'yahb patriarchae III vita et scriptis
De epistulis.

LIBER EPISTULARUM MAR IŠŌ'YAHB.

PARS PRIMA :

EPISTULAE QUAS SCRIPSIT IŠŌ'YAHB CUM ESSET EPISCOPUS.

PARS SECUNDA :

EPISTULAE QUAS SCRIPSIT IŠŌ'YAHB CUM ESSET METROPOLITA.

PARS TERTIA :

EPISTULAE QUAS SCRIPSIT IŠŌʻYAHB CUM ESSET PATRIARCHA.
